

Lae 14

S A C R I  
NOVI TESTAMENTI  
LIBRI OMNES

VETERI LATINITATE

DONATI

A B

HENRICO GODOFREDO REICHARDO,  
A. M. Schol. prov. Grimm. Collega III.


---

PARS SECUNDA

---


L I P S I A E 1799,

A P V D SIGEFR. LEBER. CRVSVIM



L I B R O R V M  
NOVI TESTAMENTI

P A R S A L T E R A.



C. D.

EPISTOLA PAVLI AD ROMANOS.

CAP. I.

1. Paulus, Iesu Christi minister, constitutus *ab eo* legatus, delectusque ad *tradendam* Dei doctrinam, 2. quam iam hic dudum per vates suos in sacris libris perscribi iussit, 3. agentem de filio eius, qui, etsi homo e familia Dauidis natus fuit *humillima conditione*, 4. tamen Dei filius potentissime declaratus est per maiestatem diuinam, suo in vitam redditu demonstratam, hoc est, de Iesu Christo, Domino nostro, 5. (cuius beneficio hoc ipsum docendi munus ego et collegae mei acce-  
pimus, vt, illius nomine, omnibus gentibus obe-  
dientiam, huic doctrinae praestandam, indicere-  
mus; 6. quorum in numero estis etiam vos, quos ab ipso Iesu Christo vocatos, hinc recte dixerim:  
7. ego igitur vobis omnibus, Romae versantibus,  
Deo dilectis, et Christo consecratis, salutem plu-  
rimam

*rimam. dico, et summum fauorem cum plurimis  
beneficiis, a Deo, patre nostro, ac Domino Iesu  
Christo, precor!*

8. Ac primum quidem Deo huic meo, Iesu Christi nomine, maximas vestrā caussā ago gratias, quorum in toto fere terrarum orbe fides ac pietas celebratur. 9. Ita enim me Deus amet, quem toto animo veneror, et doctrinam filii eius diligentissime propagare studeo, ut perpetuam vestri facio mentionem, 10. quoties ad ipsum preces mitto, ut mihi tandem aliquando tribuat hoc beneficii, ut ad vos venire possim. 11. Ardeo enim videndi vos cupiditate incredibili, ut, confirmandi caussa, aliquid in vos donorum Spiritus diuini conferam, 12. hoc est, communis vobiscum gaudii de communi fide ac religione particeps fieri possim. 13. Neque vero non addo et hoc, me, quamuis hucusque impeditus fuerim, quo minus id facerem, saepius tamen decreuisse ad vos venire, ut, quemadmodum apud caeteras nationes, ita apud vos aliquem institutionis meae fructum oculis ipse perciperem. 14. Quum enim hanc diligentiam omnibus, tam Graecis, quam barbaris, tam doctis, quam indoctis, me debere, lubens profitear; 15. etiam vobis, Romae degentibus, Christi doctrinam tradere pro viribus meis, longe sum paratissimus. 16. Neque enim Christianae me doctrinae pudet, cum quidem ea vim plane diuinam habeat ad aeternū beandos, quicunque sincera mente ipsam suscepient, siue Iudaei sint, (qui sane primas hic tenent) siue cuiuscunq; aliis nationis homines. 17. Nam per hanc ipsam innotescit, quomodo, fiducia quotidie incrementa capiente, iusti abs Deo habeamur, ut apud vatum aliquem legimus: „non nisi,

nisi, qui propter fiduciam iusti declarati sint, salvos aliquando fore!"

18. Nemo enim nescit, quam seueris poenis  
Deus summus impietatem ac scelera hominum soleat ulcisci, qui veram religionem flagitiis suis impediunt; 19. propterea, quod Dei notitia inter eos minime obscura est, quibus ipse indicium de se Dens fecit. 20. Nam infinitae eius virtutes, v. c. aeterna vis ac diuinitas, quae alias oculis cerni non possunt, tamen a mundo inde condito e rebus creatis intellecta, velut in oculos incurront; vnde non est, quod ignorantiam eius ullam caussentur. 21. Etsi enim Deum norant, minime tamen ut Deum venerati sunt, aut gratos se ei pro tot beneficiis praebuerunt, sed, pro opinionum falsitate, stulte egerunt, nec quidquam eorum caeca mens veri cognouit; 22. imo, quo sibi visi sunt sapientiores, tanta magis eorum stupor apparuit, 23. eo usque, ut maiestatem summi numinis cum imaginibus mortalium hominum, volucrum, quadrupedum, quin repetiliū adeo bestiarum, turpissime confunderent. 24. Quapropter etiam merito Deus permisit, ut per appetitus suos, quibus tam promte obsequabantur, in omne genus impunitatis, qua vel ipsa eorum corpora polluerentur, irruerent homines ii, 25. qui veram religionem cum superstitione commutassent, multoque magis res creatas venerati essent, ritibusque coluisserent, quam conditorem suum, qui tamen unus in saecula fuerat adorandus. 26. Rectissime, inquam, Deus ipsos permisit ruere in nefandas libidines, ut foeminae, naturali corporis vsu relicto, sequerentur praeposterum, 27. mares item, omissa cum foeminis consuetudine, foeda in se mutuo libidine exardescerent, ut se prostitue-

rent

rent inuicem: cuius erroneae voluptatis fructus in se ipsis quoque tales, quales decebat, experti sunt. 28. Et quemadmodum ipsi Deum noluerant verè agnoscere; ita eos vicissim Deus delabi ad extremam mentis peruersitatem passus est, qua indignissima queuis perpetrarent, 29. vt quasi obruti esent omnibus vitiis, iniquitate, scortatione, maliitia, auaritia, nequitia; pleni inuidentia, caedibus, iurgiis, fraudibus, malis moribus; 30. susurrones, calumniatores, Deo infesti, cauillatores, superbi, arrogantes, sclerum artifices, parentibus immorigeri, 31. stupidi, perfidi, amoris in suos expertes, implacabiles, immanes, 32. qui, etsi, poenam a Deo irrogatam talibus flagitiis esse sci- rent hanc, vt hic supplicii reos, qui illa perpetrent, habeat, tamen non ipsi modo ea facerent, sed et, quum hoc non possent amplius, delectarentur certe quum fieri ab aliis viderent.

## CAP. II.

1. Neque vero tu his excusatius peccas, o ho-  
mo, quisquis *hos* reprehendis; quum, aliis con-  
demnandis in te ipsum feras sententiam; eadem  
enim, praeflarius iudex, scilicet! perpetras. 2. Iam  
quum sciamus, Dei aduersus talia perpetrantes poe-  
nam esse iustissimam; 3. vtrum, o censor homi-  
num talium, idemque eorum imitator, existimas,  
te poenas diuinias posse effugere? 4. an vero sum-  
mam Dei benignitatem, patientiam, et lenitatem  
nihili aestimas, quasi nescias, hac ipse eius leni-  
tate te potius ad emendandum animum duci iam-  
pridem debuisse? 5. Sane praefracta tua cernuice  
et animo, aduersus correctionem quamlibet obfir-  
mato, augebis tibi ipse poenam, *quam tibi Deus*

eo

eo tempore *inflet*, 6. quo vindicem se malorum  
 exhibebit instissimum, qui vnicuique reddat, quid-  
 quid factis suis promeruerit; 7. iis quidem, qui  
 constantia in recte agendo ad felicitatem, dignita-  
 tem, et sanctitatem incorruptam contehderint, ae-  
 ternam vitam; 8. iis contra, qui rixantur, nec  
 religioni verae parent, sed impietati potius obse-  
 quuntur, poenas longe grauissimas. 9. Profecto  
 enim summa miseria et infelicitas vnumquemque  
 impium manet, Iudaeum ctiam paulo maior, quam  
 alium quemque. 10. Rursus magna praemia, de-  
 cus, et felicitas summa pium quemcunque, nec Iu-  
 daeum minus, quam alium quemcunque. 11. Deus  
 enim in iudicando, quis aut quantus quiaque sit,  
 minime considerat. 12. Nam, qui ignari legis di-  
 vinae scriptae peccarunt, illi non ex huius legis sen-  
 tentia, sed alias, condemnabuntur; qui contra,  
 quum hanc legem scirent, tamen aduersus eam de-  
 liquerunt, in hos legis huius poenae irruent. 13.  
 Neque enim ii, qui legis vocem modo audiunt,  
 iusti a Deo reputantur, sed, qui eius praeceptis  
 obtemperant, sancti apud eum hahentur. 14. Nam  
 quum reliqui populi, qui legem *scriptam* non ha-  
 bent, natura ipsa duce, faciant, quae lex *Mosis*  
 praecepit; sequitur sane, eorum animum, licet lege  
*scripta* careant, huius tamen ipsis vicem presestare.  
 15. Qui quidem aliquando demonstrabunt, ea,  
 quae lex iusserit, ipsorum animis *velut* insculpta  
 fuisse, confirmatur id ipsorum conscientia, et ta-  
 citis animi cogitationibus, eos vel accusaturis, vel  
 etiam defensuris, 16. eo tempore, quo Deus vel  
 occultissima hominum sclera vlciscetur, quemad-  
 modum doctrinā, a Christo mihi ad docendum tra-  
 dita, minatur. 17. Iam ecce! tu quidem Iudaica  
 stirpe gloriaris, legi tuae innixus, ac Deum *tibi*

pro-

*propitium iactans; 18. scisque, quid fieri Deus velit, meliora probans, quippe e lege tua sic institutus; 19. quin adeo confidis, te caecis viam monstrare, imperitis lucem quasi in tenebris preferre, 20. stultos rectiora monera, infantes docere posse, quum habeas rectam doctrinae formulam, in lego tua perscriptam. 21. Sed quomodo, quaeso, fit, qui alias doceas, te ipsum non pariter doceas? qui furtum vetas, ipse fureris? 22. qui adulterio alias prohibes, ipse adulterum agas? qui simulacra abominanda dicis, ipse sacrilegium committas? qui denique legem tantopere iactas, hac ipsa lege violandâ Deum contumelia afficias? 24. Vestrâ enim profecto sceleribus maiestas diuina, ut scriptum alicubi exstat, apud reliquas gentes in contemptum adducitur. 25. Quod si legis praecepta exsequaris, multum tibi sane commodi afferet circumcisio; sin sis haud pareas, nihil melior es quocunque alio, non circumcisso. 26. Quidni ergo vicissim, si gentes profanae praecepta legis sequantur, eodem, quo circumcisio, loco recte habeantur; 27. adeoque, qui natura non sunt circumcisi, sed tamen legem seruant, te, legis contemtorem, quantumvis lege scriptâ ac circumcisione *superbientem*, in ruborem coniiciant? 28. Neque enim externa illa omnia, v. c. genus, ritus, leges, verum Iudeum, veram circumcisionem efficiunt, 29. sed intus in animo Iudeus ac circumcisionis latent; quorum quidem haec non inani legis fiducia cuiquam contingit, sed vi diuinâ peragenda est; ille non tam hominibus, quam Deo ipsi probatur.*

CAP.

## C A P. III.

1. Nihilne igitur, *inquis*, praecipui habebunt Iudei, neque utilitatis quidquam affert circumcisio? 2. Imo longe plurimum. Ac primum quidem et praecipuum est illud, quod oracula diuina prisca ipsis concredita fuerunt. 3. Sed quidam eorum, (*dicat aliquis*) Deo morem non gesserunt. — *Quid tum?* An horum perfidia veritatem diuinam tollat? 4. Minime vero; nam citius, quam ab hac Deus desciscat, totum genus humanum perfidiae culpam contraxerit, *vt in Psalmis* legitur: „Apparet, te verbis tuis constare, et obtrectatores tuos caussâ vincere.“ — 5. Quod si impietate nostra, (sic pergent illi) benignitas ac fides diuina illustratur, nonne iniuste Deus agit, si poenis nos afficiat? — 6. Absit hoc quam longissime; quomodo enim Deus totius humani generis iudex esse posset, si iniuste ageret? — 7. Sed tamen, si, non obstante mea perfidia, fides diuina in laudem Dei vertit, cur tandem sceleris ego adhuc condemnor? — 8. An, quaequo, (quod a nobis dici malevoli quidam homines contendunt, qui propterea poenis diuinis sunt dignissimi) licet male agere, *vt inde boni aliquid oriatur?*

9. Quid igitur? (*vt ad propositum redeam*) ergo tamen nihil praecipui praetere aliis nationibus habemus? Non multum sane; enicimus enim *supra*, vtrosque, et Iudeos, et reliquos populos, pari omnes scelerum reatu teneri. 10. Scriptum enim his verbis legimus: „Non est inter homines iustus quisquam; 11. non est, qui vere sapiat, aut Deum precibus audeat; 12. omnes aberrarunt, ac perverse agunt, ne vnum quidem recte vitam instituit.

15. Sepulchro patenti guttur ipsorum haud male compares; lingua sua solent *alios fallere*; et labia ipsorum *veluti* veneno viperino infecta sunt; 14. os diris et acerbitate scatet; 15. pedes ad caedem fatiendam ruunt; 16. consilia ad calamitatem et miseriaram, *aliis inferendam*, tendunt; 17. quidquid contra horum felicitatem spectat, nec sciunt, nec curant, 18. quam ne scintilla quidem verae in Deum pietatis apud ipsos reperiatur.“ 19. Iam vero scimus, quidquid sacris veterum libris continetur, id ad Iudeos pertinere; adeoque silentium omnibus ita imponi, ut totum genus humanum in iudicio diuino reum esse, appareat. 20. Nam per obedientiam legi praestitam, nemo profecto delictorum veniam abs Deo consequetur, quum potius per legem quisque, quam sceleratus sit, distincte demum perspiciat.

21. Nostris demum temporibus, posthabitâ lege, innotuit ea, quam Deus probat, sanctitas et iustitia, quam Moses et vates prisci praedixerunt. 22. Intelligo autem iustitiam, Deo placentem, propter fiduciam, Iesu Christo nixam, et omnibus, qui *hunc* amplectuntur decretam ac tribuendam; neque enim hic discrimen nullum seruatur; 23. quum omnes perperam egerint, nec Deo probari possint, 24. ideoque et gratuitam benignitate diuina delictorum veniam consequantur, propter praestitam ipsis a Christo Iesu liberationem, 25. quem Deus *veluti* victimam proposuit, cuius cruenta morte niteremur; ad demonstrandum suum mali odium, quod scelera hominum, superiori *veluti* longanimitatis tempore, patienter tolerauerat, (*vnde eum sceleris patronum habere aliquis potuisse*) 26. ad demonstrandum, inquam, hoc nostro aeuo mali odium,

odium, vt appareret, ipsum vere instum esse, nec quenquam, nisi, qui ex fiducia in Iesum totus pendeat, absoluere.

27. Vbi igitur nunc est Iudaica illa superbia? Scilicet prorsus exclusa est. Et quanam doctrinā? Èa fortasse, quae nude praecipit? Minime vero. Imo ea, quae fiduciam proponit. 28. Vnde statuimus, homines iustos apud Deum haberi, propter fiduciam in Christum, non propter obedientiam, legi praestitam. 29. Vtrum enīm, queso, Deus solis Iudeis fauet? an et reliquis gentibus? Sane et reliquis; 30. si quidem idem cum Iudeos, tum caeteros populos, èadem ratione, hoc est, propter fiduciam vtrosque, absoluet. 31. Num igitur legem per hanc defiducia doctrinam plane tollimus? Tantum quidem abest, vt hoc faciamus, vt etiam eius auctoritatem defendamus.

#### CAP. IV.

1. Quid igitur v. c. Abrahamum gentis nostrae auctorem, dicemus, obedientiā, legi illi externae praestita, consecutum fuisse? 2. Sane consecutus est aliquod inde sanctitatis et iustitiae genus, quo iactare se possit, sed eiusmodi, quod apud Deum nihil valeret. 3. Quid enim in sacris libris legimus? „Propterea Abrahamus deo imprimis probatus fuit, quod eius promissis fidem habuit.“ 4. Iam qui virtutes, lege praceptor, ipse praestat, ei praemium ac merces non beneficii loco tribuitur, sed officii nomine debetur. 5. Contra, qui id non facit sed merae eius benignitati se commisit, qui vel pessimum quemque a sceleris culpa absoluendi iure gaudet, huic fiducia haec perfectam illam san-

ctita

citatem et virtutem tribuere censenda est. 6. Eodem modo Dauides illum demum hominem felicem praedicat, cui, quanquam ipse nullam virtutem habeat. Deus tamen alienam iustitiam imputet. 7. „Felix, inquit, est ille, qui delictorum veniam consecutus est, cuius scelera omnino delecta sunt; 8. felix, cui nihil eorum, quae male egit, Dominus imputat.“ 9. Vtrum igitur his verbis Dauides solis circumcisio, an potius simul non circumcisio felicitatem tribuit? (Imputando enim Abrahami fiduciae iustitiam tributam esse, ponimus.) 10. Quomodo igitur *et quo tempore* haec illi imputatio contingit? Circumcisio iam, an nondum circumcisio? Non sane circumcisio, sed gerenti adhuc praeputium. 11. Imo circumcidit demum iussus est, ad indicandum, eum vel nondum circumcisionem, Deo tamen propter illam fiduciam probatum fuisse, adeo, ut iure parentis habeatur omnium, partim eorum, qui, non circumcisi, fidem Deo habuissent, ut ii propterea iusti reputentur. 12. partim eorum, qui circumcisi essent, non modo, quatenus tales essent, sed et, quatenus Abrahami, parentis nostri, ante circumcisionem Dei promissis confisi, vestigia sequerentur. 13. Neque enim propter legem seruatam, Abrahamo, aut eius posteris omnes terrae populos, veluti heredes datum iri, promissum fuit, sed propriam iustitiam, e fiducia profectam, id factum est. 14. Si enim, qui legi parent, bona caelestia acciperent, nullam vim habitura esset nec fiducia, nec diuina promissio. 15. Lex porro poenas parit, ubi contra legis ratio non habetur, ne culpa quidem aut reatus locum habere possunt. 16. Propter fiduciam ergo iustitia tribuitur, partim ut verum sit beneficium, partim, ut bona promissa certo sperari possint, ab omnibus Abrahami posteris, non modo iis, qui lego cœu-

censemur, sed et iis, qui eandem, quam Abrahamus, fiduciam habituri sunt, qui parens nostrum omnium, (17. legimus enim verba haec; „Multarum nationum auctorem te facere decreni.“) habetur, quoniam fidem habuit ipsi Deo, satis virum habenti vel ad mortuos in vitam reuocандos, et ea, quae nondum sunt, efficienda. 18. Qui, ubi nihil spei supererat, tamen sperare ausus est, fore, ut multarum auctor esset gentium, sicuti promissum ipsi fuerat: „Totidem, quot astra, erunt posteri tui!“ 19. abiectaque dubitatione omni, minime respexit centum paene annorum corpus decrepitum, aut Sarae vterum effoetum, 20. neque promissis diuinis dissidentiam humanam opposuit, sed obfirmata potius fiduciа, redditaque Deo sua maiestate, 21. inconcussa animi constantia summa et maxima quaeque abs Deo sperare ausus est; securus, hunc, quidquid promisisset, praestare etiam posse. 22. His igitur tot tantisque de causis iustus habitus est. 23. Non autem in eius laudem tantum narratur, eum propter fiduciam pro iusto habitum esse, 24. sed etiam, ut edoceamur, nos pariter iustos habitum iri, si modo fiduciam repomanus in eo, qui Iesum, Dominum nostrum, in vitam reuocauit. 25. Hic enim, ut ad delicta nostra expianda morti est traditus, ita ad demonstrandum, nos iam Deo vere reconciliatos esse, in vitam rediit.

CAP. V.

1. Quod si tali fiducia Deo semel placuerimus, ab eo iam hinc Domini nostri, Iesu Christi, beneficio, nihil, nisi optima quaeque, nobis exspectare licet;
2. qui nobis, in ipso confisis, etiam adi-  
tum

tum ad eum patris fauorem fecit, quo et nunc  
vitimur, et in posterum nos usuros, cum gaudio  
speramus, quando futurae apud Deum felicitatis  
erimus participes. 3. Neque vero de hac tantum  
*spe nobis gratulamur*, sed etiam de ipsis nostris  
calamitatibus, quam certo sciamus, has patientiam  
gignere; 4. patiendo nos porro vires nostras di-  
scere; hac virium notitia spem nostram augeri;  
5. spem denique nos nunquam destituturam, quum  
summum effusissimi in nos amoris diuini pignus  
habeamus dotes, a Spiritu diuino nobis distributas.  
6. Porro quoque Christus pro nobis, impiis, iisque  
omnia alia ope destitutis, stato tempore occubuit,  
*hem! quali exemplo!* 7. Vix enim pro homine in-  
nocenti quisquam occumbet; pro benefico fortasse  
aliquis, *grati animi caussa ei obstrictus*, occidi se,  
masculè patiatur. 8. Iam ipsi, quaeso, vobiscum  
reputate, quantum amoris erga nos specimen Deus  
ediderit, quod quum adhuc vitiis essemus obruti,  
Christus nostrâ vice occubuit. 9. Multo igitur magis,  
postquam cruenta eius morte delictorum ve-  
niā accepimus, a poenis per ipsum erimus im-  
munes? 10. Si enim, quum inimici adhuc Deo  
essemus, ei per mortem filii eius reconciliati sumus;  
quanto magis ergo, semel reconciliati, postquam  
ille reuixit, tuti ac beati manebimus? 11. Quin  
adeo non *hoc tantum sperare possumus*; verum  
gaudemus et gloriamur de tanto Dei fauore, per  
Dominum nostrum, Iesum Christum, qui nunc hoc  
nobis beneficii praestitit.

12. Quemadmodum itaque per vnum hominem  
naturae prauitas, per hanc vero mors, generi hu-  
mano incubuit; sic etiam mors, quia omnes ac  
singuli male egerunt, ad vnum omnes rapere so-  
let,

let. 13. Nam ante legem quoque scriptam illa prauitas iam exstabat; quae etsi non vrgebatur, quum lex nondum esset; 14. tamen mors inde ab Adamo vsque ad Mosen in omnes pariter saeuilis, eos etiam, qui non ita, vt Adamus, *in legem diserte ipsis datam*, delinquissent, qua in *vniuersitate morieundi* sane quaedam cum rebus postea factis comparatio latet. 15. Neque tamen ea veniae gratuitae ratio est, que humanae prauitatis; *sed illius longe potior scilicet.* Quum enim vnius scelere morti plures facti sint obnoxii; quanto iam maior est hominum felicitas, postquam vnius hominis, Iesu Christi, fauore gratuita Dei benignitas in illos plures effusa est? 16. Neque *cum illis malis*, per vnum impium *in omnes propagatis*, comparari possunt bona, quae per hanc benignitatem continentur; nam iustitia diuina propter vnum multos damnat, misericordia contra a multis sceleribus absoluta. 17. Si enim propter vnius delictum mors per hunc vnum in omnes grassari coepit; quanto magis, qui summum Dei amorem, partim impetranda delictorum venia, partim accipiendis ad vitae sanctitatem viribus, experti sunt, per vnum Iesum Christum ad aeterni regni felicitatem peruenient? 18. Quemadmodum igitur, *vt supra dicebam*, vnum delictum omnibus hominibus in damnationem ac perniciem; ita vnius obedientia iisdem in absolutionem ac felicitatem sempiternam cessit. 19. Sicut enim vnius contumacia rei quam plurimi facti sunt, ita vnius obedientia iusti et sancti iidem declarabuntur. 20. Sed *praeter naturalem* legem etiam *scripta accessit*, vt prauitatis humanae magnitudo eo magis patesceret; quanto maior autem haec appareret, tanto maiorem quoque apparere misericordiam diuinam, necesse

Dd

est;

est; 21. vt, quemadmodum illa prauitas per mortem vehementer nocuit, ita iam misericordia diuina, per institiam Iesu Christi, domini nostri, ad felicitatem aeternam aequæ prospicit.

## CAP. VI.

1. Quid igitur hinc efficitur? An hoc, vt pergere nobis in male agendo liceat, quo maior exsistat benignitas diuinæ copia? 2. Absit hoc, *praesertim a nobis*, qui, quum per mortem Christi ab omni scelere liberati simus, quomodo nequitiae vterius dediti viuamus? 3. An oblii estis, quicunque e nobis, sacro fonte tincti, Christum Iesum professi simus, eosdem tum velut in consortium mortis eius venisse? 4. Per hoc ipsum ergo lanacrum, quo in mortis eius societatem venimus, cum eo quoque veluti sepulti sumus, non alio quidem consilio, nisi, vt, quemadmodum Christus, potentiae paternae ope, in vitam rediit, ita et nos aliam dehinc et meliorem vitam ageremus. 5. Si enim morienda similes ei *quodammodo* facti sumus; quanto magis reuiuiscendo esse debebimus? 6. in primis, quum sciamus, nos cum Christo in cruce veluti personam veterem deposuisse, vt, eā mortuā, sceleribus constricti amplius ne essemus. 7. Quisquis enim haec morte *quasi* deposuit, ab iis plane liberatus est. 8. Iam, si cum Christo *sic* mortui sumus, spes est, fore, vt cum eodem pariter reuiuiscamus, 9. adeoque certi esse potestis, *sicuti* Christus, semel vitae restitutus, non amplius moriturus, nec mors in eum potestatis quidquam habitura est; (10. quod enim mortuus est, prauitatis nostræ causa semel fecit, quod autem viuit, Dei parentis arbitratu viuit;) 11. ita vos et ipsos, qua prauitatem, mortuos esse, qua

Dg-

Deum autem, vel maxime viuere, idque per vim  
mortis Christi Iesu, Domini nostri, facere posse.  
12. Ne igitur, queso, in vobis vetus illa vitiosi-  
tas dominetur ita, ut prauis vestri corporis affecti-  
bus pareatis, 13. neque membris vestris pro sce-  
lerum instrumentis turpiter abutamini, sed potius  
vos ipsos Deo, tanquam denuo e morte in vitam  
reduces, consecratis, membraque vestra, velut in-  
strumenta sanctitatis, Deo probatae, adhibeatis.  
14. Neque enim impietas in vos dominari iam hinc  
poterit, quum non amplius duro legis Mosaicae  
vinculo teneamini, sed blanda fauoris diuini aura  
recreemini.

15. Quid vero? inquitis. Fortasse propter id  
ipsum, quia non amplius Mosis iugo pressi, sed  
Christi auxilio subleuati vimimus, peccare iam no-  
bis licebit? Absit a vobis etiam hoc quam longis-  
sime. 16. An nescitis, cuicunque vos, tanquam  
sernos, ad parendum ipsi vestra sponte subiiciatis,  
eius vos seruos esse perpetuos, siue prauitatis na-  
turalis, quae miserimos, siue pietatis, quae bea-  
tissimos redditura est? 17. Quam bene factum  
est, quod illius serui non estis amplius, sed fuitis,  
iam vero doctrinae sanioris, vobis traditae, pre-  
cepta secuti estis! 18. Iam, quum sceleribus libe-  
rati sitis, pietati vos obligasti: (19. Vtor enim  
iam propter iudicii vestri imbecillitatem petitis e  
media vita humana similitudinibus.) Quemadmo-  
dum ergo antea membris vestri corporis abusi,  
tanquam seruus, estis ad turpissimas libidines et  
summam impietatem; ita nunc iidem, par velut  
seruitate, ad summam pietatem et castitatem  
vtendum est. 20. Quum enim scelerum essetis  
mancipa, liberos prorsus a sanctitatis officio vos  
existimabatis. 21. Sed qualem, queso, fructum

Dd 2

tunc

tunc earum rerum, quarum vos iam pudet, percepistis? Nullum, opinor; nam eae in perniciem sempiternam solent desinere. 22. Contra ea nunc, quum sceleris culpa liberati, Deo autem in seruitutem quasi addicti estis, longe alium habetis, *hoc est*, sanctitatem, quae non nisi ad felicitatem sempiternam potest ducere. 23. Nam pernicies aeterna certissimum impietati propositum est stipendum; felicitas autem perpetua largissimum *veluti* donatum, propter Christum Iesum, Dominum nostrum, nobis impertiendum.

## CAP. VII.

1. An, quaeso, nescitis, o carissimi, (loquor enim iam cum *Iudeis*, legis vim callentibus) hanc non diutius imperium in hominem habere, quam ipsa nondum abrogata sit? 2. Mulier v. c. quae in matrimonio viuit, viuo marito legi *velut* adstricta est; sed mortuo eo, huius illi legis venia solet contingere. 3. Vnde sane, si viuo adhuc illo, alteri nupserit, iure adultera vocabitur; sin, mortuo eo, idem fecerit, soluta est illa lege, nec adultera esse putabitur. 4. Pariter vos, o populares, per occisum Christi corpus, vicariâ morte legi *velut* erepti estis, atque sic in alias, qui mortuus in vitam rediit, potestatem venistis, vt iam hinc iis moribus, èa vitâ nobis opus sit, quae Deo placere possit. 5. Nam quum adhuc naturam corruptam sequeremur, cupiditates pravae, legis occasione natae, corporis nostri membra ad quaevis mala perpetranda incitabant, vt in manifestam perniciem incurseremus. 6. Nunc autem nobis facta est legis gratia, quum haec, quae nos ante constringebat, per societatem mortis Christi, nobis *veluti*

mor-

morta sit; vnde patet, nos iam non ad veterem rituum praescriptorum normam, sed ad nouam sublimioris Christi doctrinae regulam, cultum prae-  
stare Deo debere.

7. Quid ergo hic statuemus? Nonne hoc pacto lex ipsa delinquendi et causa et magistra est? Absit hoc quidem longissime; imo ne prauitatem quidem meam vñquam, nisi per legem, cognouissem; neque enim, cupiditates meas prauas *Deo discipere*, didicissem, nisi lex diserte, ne ipse alerem, me vetusset. 8. Nacta enim accendentem legem, *veluti somitem*, mea ad male agendum propensio, omnis generis malarum cupiditatum ignes in me excitabat. Certum est enim, sine lege eam propensionem, quasi mortuam, quiescere. 9. Atque quidem ipse olim temere sine lege viuebam; sed quum fortius deinde lex animum mihi tetigisset, mala illa propensio coepit quasi reuiuiscere. 10. Quo quidem tempore videbam, me plane periisse, eamque ipsam adeo legem, quae data esset, vt viam salutis inde discerem, effecturam, vt mortis poenam subirem. 11. Vitiosa enim animi propensio, legem nacta *veluti somitem* (*et modo dixi*) me decepit, perque eandem prorsus damnabilem reddidit. 12. Sancta igitur est lex, sancta eius praecincta sunt, iusta eadem ac salutaria. 13. An igitur res tam salutaris mihi perniciosa potest euadere? Minime id quidem: sed prauitas naturalis *id ipsum est, quod perniciem affert*; adeoque perspicue cognoui, eam mihi per rem, alias optimam, maxime nocuisse; et ipsa, postquam lex interuenierat, tum demum summe damnabilis apparere mihi coepit. 14. Constat enim, opinor, satis, legem esse sanctam, perfectam, vt verbo dicam, diuinam; sed  
aeque,

aeque, opinor, constat, me esse infirmum, malum, vt verbo dicam, verissimum malae cupiditatis mancipium. 15. Etenim in agendo ita inconstans sum, vt ipse saepius nesciam, quid mihi velim; non enim facio, quod probare mens mea cogitur, sed, quod ea improbat, perpetrare soleo. 16. Si igitur, quae ipse improbare cogor, committo, saue sic, legem bonam esse, tacite confiteor. 17. Quanquam non tam ego ipse malum perpetro, quam innata illa mihi ad male agendum propensio. 18. Scio enim, proh dolor! in me, hoc est, in natura mea corrupta, nihil plane boni reperiri. Probare quidem ac velle boni aliquid facere, vt cunque possum; caeterum, quum ad ipsum actum res redit, nihil ecce! virium superesse, exterior. 19. Neque enim, quae bona, probavi et facere decreui ea exsequor, sed, quae improbo mala, ea perpetro. 20. Quod si ita est, non tam ego ipse, quam innata illa mihi ad peccandum propensio male agere dicenda est. 21. Reperio igitur in me vim quandam, legis in modum imperantem, eiusmodi, vt, quantumvis recte agere velim, tamen non male agere non possim. 22. Sane si Spiritus diuini, mentem impellentis praecepta audiām, non possum non legem dininam admirari eaque magnopere delectari; 23. sed idem sentio, aliam veluti legem in meo corpore, alteri illi legi, quam mens approbat, e diametro oppositam, quae me, prauitatis in natura mea corrupta saeuientis, tyrannide subactum, vel inuitum secum abripit. 24. O me miserum! Quis, quaco, eripere me ex hac tanta naturae meae corruptione posset, nisi solus Deus? 25. Tanto plus igitur huins fauori debo; qui mihi per Iesum Christum, Dominum nostram, contigit; quanquam interim, in  
 ha-

*huius quidem vitae infirmitate, non penitus cessabit infelix illa distractio, qua, ex emendati animi praecepto, legem diuinam seruem, ex vitiosae autem naturae stimulo prauae indolis tyrannidi adhuc maneam obnoxius.*

CAP. VIII.

1. Nihil igitur nunc quidem poenae metuendum amplius est verà Iesum Christum fiduciā amplectentibus, nec iam corruptae naturae arbitrium, sed Spiritus diuini ductum sequentibus. 2. Haec enim Spiritus diuini vis, ad vitam e Christi Iesu voluntate agendam impellens, a scelerum et mortis tyrannide plane me liberavit. 3. Nam quod per legem fieri, propter humanæ naturæ imbecillitatem, non poterat, id Deus praestitit, qui, misso et naturâ humanâ induto filio, ut pro impiis immolaretur, huius naturae nostræ vitiositatis poenas ab humanâ illius naturâ exegit: 4. ita quidem, ut iam inde nos quoque parere legi possimus, dum ne amplius imposterum corruptae naturae impetum, sed Spiritus diuini, intus nos admonentis, ductum sequamur. 5. Nam qui illud faciunt, non nisi malis et noxiis rebus delectantur; qui hoc, non nisi sanctis et salutaribus consiliis vtuntur. 6. Quidquid enim corrupta natura suadet, miseriam summam, quin aeternum interitum affert; sed quidquid a diuino Spíritu in nobis efficitur, salutare est, et ad sempiternam felicitatem ducit. 7. Naturæ quippe vitiosae cupiditates Deo aduersantur, quum huius illa se legi subiicere nec velit, nec si vel maxime velit, possit; 8. vnde, qui eas audiunt, nec placere Deo vñquam possunt.

9. Vos

9. Vos autem non amplius corruptae naturae,  
sed Spiritus diuini instinctui paretis, si modo hic  
in vobis est; nam quisquis hunc, qui Christi si-  
mul est Spiritus, non habet, is ab ipso quoque  
Christo longe est alienissimus. 10. Contra, si hic  
in animo vestro dominetur, vetus ille in vobis et  
naturalis homo veluti propter sua scelera periisse  
putandus est, sed nouus alter et diuinus tanto ma-  
gis viget, ut virtuti et iustitiae studeat. 11. Si  
porro spiritus patris illius summi, qui Christo vi-  
tam reddidit, in vobis habitet; quidni speretis, pro-  
pter hunc ipsum Spiritum, in vobis habitantem,  
fore, ut idem pater optimus vos quoque, velut e  
morte ad veram, hoc est sanctam, vitam poten-  
tissime excite? 12. Si igitur, o carissimi, quid  
quam cuiquam debemus, (vt debemus) certe non  
naturae nostrae vitiosae debemus, ut huic a nobis  
parendum sit; sed vni potius Deo O. M. 13. Illi  
enim imperiosae dominatrici si parueritis, miser-  
rime vobis erit pereundum; sin autem, ope diuini  
Spiritus, malos naturae peruersae affectus oppres-  
seritis, tum demum vera felicitate fruēmini. 14.  
Nam quicunque a Spiritu diuino regi se patiuntur,  
hi vere dilecti sunt Dei filii; quales sane iam vos  
estis. 15. Neque enim sernilem animum et indo-  
lem accepistis, ut vobis, velut ante, ad ipsam de  
Deo cogitationem exhorrescendum sit: sed inge-  
nuum, qualis filiorum in patres esse solet, quo  
Deum audacter Abba, hoc est, Patrem, appellatis.  
16. Atque huic tali animo nostro ille ipse Spiritus  
diuinus tacite suclamat, nos vere Dei filios esse.  
17. Quod si filii sumus, etiam summae apud De-  
um, vna cum Christo felicitatis erimus participes,  
vt, si malis ferendis in societatem Christi venire  
nos non puduerit, maxima quoque olim cum eo-

dem

dem laetitia et gloria fruamur. 18. Quae quidem pauca brevis huius vitae mala nihil equidem aestimanda esse arbitror, si comparentur cum summa illa felicitate, quam nobis aliquando, coram omnibus patebit, contigisse.

19. Quam filiorum Dei gloriosam felicitatem una cum ipsis exspectare videtur natura vniuersa, 20. quippe et ipsa miseriae quodammodo subiecta, quanquam non sua sponte, sed Dei nutam sequens, qui tamen ipsam non sine spe liberacionis, huic miseriae subiecit. 21. Nam et ipsa natura ex misera hac veluti seruitute vindicabitur tum, cum filii Dei liberati malis omnibus, ad felicitatem illam caelestem euehentur. 22. Totum quippe mundum, scimus, quamdiu eius facies ac forma durat, ingemiscere quodammodo et in luctu versari; 23. nec modo hanc in vniuersum, sed et eos, qui primi Spiritus diuini afflatu impulsu fuerunt; quin adeo nos ipsi, Apostoli, pariter gemimus ac gememus, donec beata morte ad plenam filiorum Dei felicitatem fuerimus perducti,

24. Spe enim sola salvi sumus; quidquid autem oculis iam cernitur, non demum sperari solet; quae enim aliquis videt, cur tandem aut quomodo speret? 25. Si vero nonnisi futura speramus, sane patientia ad hoc requiritur. 26. Neque vero tantum haec spes nos in malis ferendis consolatur, sed et pariter Spiritus diuinus infirmitati nostrae succurrit; ac saepe, quum ne ipsi quidem, quid aut quomodo precibus a Deo petendum sit, satis scimus, ipse nostram apud hunc caussam agit, idque iis modis, quos verbis exprimere frustra aliquis conetur. 27. Deus autem, cui nota sunt omni-

omnium cogitata, quid Spiritus hic desideret, optime nouit, quem quidem hic pro sanctis nihil petat, quod non illius voluntati maxime sit consentaneum.

28. Constat denique omnino, iis, qui Deum vere amant, nihil accidere, quod non ad veram eorum felicitatem cum ceteris omnibus consipret, quem quidem iis ille hanc ipsam benigne destinaverit. 29. Quos enim ille ab aeterno inde amavit, eosdem decrevit filio suo similes reddere, quorum hic princeps et velut antesignanus cohortis numerosissimae esset futurus. 30. Quibus autem hoc destinavit beneficium, eos ad id capessendum aduocat; quos aduocat, iisdem omnes culpas veteres remittit; quibus denique hanc veniam indulxit, eosdem aeterna felicitate donare solet.

31. Quid nunc? Nondum hoc satis est? Si Deus nobis fauet, quis oberit? 32. Qui ne ipsi quidem filio suo perpercerit, sed nostrae salutis caussa eum foedissima nece iusserit occumbere, is, quomodo, quaeso, cum hoc filio non omnia nobis gratificetur? 33. Quis iam ornatos a Deo tot beneficiis accuset? Praesto est Deus, ipse, qui nos absoluat. 34. Quis de eorum poenis loqui audiat? Praesto est Christus, non modo ipse pro nobis mortuus, sed et in vitam reuersus, iamque aeterno patri maiestate par, idemque caussam nostram huic commendans. 35. Quae igitur unquam res tam incomparabilis amici amorem tenerimum ex animo nostro euellat? Miseria fortassis, aut aerumnæ, aut persecutio, aut cibi ac vestitus penuria, aut pericula, aut caedes? (36. quae quidem certe mala dudum nobis praedicta sunt in illo: „Tuâ caussa quotidie, tanquam ouium aliquis grec

ma-

mactandus, necamur;") 37. *Minime vero; quin haec omnia magno animo ridemus, ac propter eum, qui nos tam incredibili amore persequitur, pro nihil ducimus.* 38. *Mihi enim certissime persuasum est, nos neque viuos, neque mortuos, nulla vel angelii, vel principis, vel regis auctoritate, nulla praesentis mali molestia, vel futuri metu,* 39. *nullo apud homines vel honore, vel ignominia, nullius denique rei creatae vi aut conatu ab illo amore iri diuulsum, quo cum Deo nostro, per Christum Iesum, Dominum nostrum, coniungimur atque conglutinamur.*

C A P. IX.

1. Sane quidem, (ita me Christus amet et sanctissimus ille Dei Spiritus, ut mihi liquido sum conscientia, me verum dicere) 2. me tristitia affici et perpetuo quodam dolore animum mihi mordet sentio, quum gentis meae miseria praesens in mente venit, 3. vellemque adeo, veluti piaculum quoddam, ipse a Christo ad miserrimam mortem pro popularibus meis deuoueri, 4. quibus tot praecipua praे aliis gentibus contigerunt, ut Israëlitae ab auctore generis, Israèle, dicerentur, ut Dei filii appellarentur, ut Deus inter ipsos gloriose habitaret, ut foedera cum iis pangeret, ut iis leges et sacros ritus ipse praescriberet, ut promissiones iis daret excellentissimas, 5. ut maiores celeberrimos haberent, denique, quod summum est, ut ex ipsorum gente humanam naturam sibi adscisceret ipse Christus, qui tamen Deus est O. M. idemque aeternis laudibus celebrandus. Amen! 6. *Consolatur me igitur in hac gentis meae miseria hoc, quod certo scio, promissiones diuinæ euentu carere nullo modo posse; neque enim omnes, qui Israëlis po-*

ste-

steri sunt, verorum Israëlitarum nomen mérentur; 7. non magis, quam, qui ab Abrahamo descendunt, omnes pro legitimis eius filiis reputantur; sed, qui per Isaacum ex ipso nascituri essent, hos solos Deus veros eius posteros haberi ab ipso iussit, 8. hoc est, non filios naturales quoscunque, abs Deo adoptatum iri, sed eos potius, de quibus id promisisset, veros Abrahamidas censendos fore. 9. Fuerat enim haec promissionis formalia: „Eo, quo dixi, tempore, hoc est, vertente anno, beneficii tibi tribuam hoc, vt Sara filium osculetur.“ 10. Neque vero in hoc tantum exemplo, Deus tam libere in promittendo versatus est, verum etiam luculentius hoc demonstrauit in Rebecca, quae ex uno Isaaco, patriarcha nostro, mater duorum, eaque legitima utriusque, facta est. 11. Nam ante, quam ex ea nati essent gemelli, aut boni maliae facere quidquam possent, vt appareret, gratuitum esse Dei fauorem, neque ab hominum factis, sed a sola promittentis benignitate pendere, 12. gravidae adhuc matri praedictum fuerat, „maiorem minori succubiturum.“ 13. Ita enim Deus: „Iacobum ego Esavo longe anteposui;“ 14. Quid igitur? Deusne iniuste agere solet? Absit hoc quidem longissime. 15. Et, quum Mosi dixerit, „se, si ipsi placuerit alicui benefacere, aut eius misereri, liberissimo id consilio et gratuita benignitate facere;“ 16. profecto nulla voluntatis aut operae humanae ea in re vis intercedit, sed hoc solius Dei, ita decernentis, opus erit. 17. Nam et porro in sacris litteris haec Dei ad Pharaonem verba leguntur: „Propterea ego te non statim perdo, vt sit, in quo vim meam ostendam, et vt eà re per totum terrarum orbem nomen meum illustretur.“ 18. Vnde patet, cum

cum in conferendis, tum in subtrahendis beneficiis  
liberrimo Deum consilio uti solere.

19. Iam aliquis mihi obiciat: Quid ergo Deus adhuc de me conqueritur, cum quidem eius voluntati resistere nemo possit? — 20. Imo vero, o bone vir, sic potius tibi responsum puta: Quis tandem es tu, qui cum Deo velut altercari audias? Num, quaeso, vas fictile, (*vt hoc utar*) cum eo, qui id finxit, expostulest, quare ipsum ita, non aliter, finixerit? 21. Aut quidni figulus in argillam potestatem habeat eiusmodi, ut ex eadem massa aliud vas ad usus honestiores, aliud ad turpiores, ei liceat fingere? 22. Quod si Deus, quum vellet suam in puniendo seueritatem ostendere, ac potentiam demonstrare, magna cum patientia interim tulit, *veluti* vasa quedam, postmodum frangenda, certos homines, *etsi* dudum poenae maturi essent; nonne eodem, quo figulus, iure hic fruetur? 23. Idem contra, si, quum vellet beneficentiae suae copias effundere in hos, quos, *veluti* vasa, honestioribus destinata usibus, praeuiderat, idoneos fore recipiendis beneficiis, *si, inquam, idem in his fecit; num magis propterea poterit reprehendi?*

24. Atque e posteriori quidem genere voluit esse etiam nos, quos non modo ex Iudeis, verum ex aliis quoque gentibus ad hanc felicitatem inuitauit; 25. quod etiam apud Hoseam profitetur, dicens, „se populum sibi adscitum, a quo antea fuerit alienissimus, et filiam adoptatum, quam antea non amauerit; 26. quin adeo, inter quos se eos, minatus sit, dispersurum, apud eos ipsos filios Dei O. M. appellatum ini.“ 27. Iesaias vero palam Israëlitis, „*etsi pereuntium ex iis numerus are-*

arenam maris aequet, tamen reliquias nonnullas seruatum iri,“ promittit; 28. idque decretum rigidum, quanquam bonitate temperatum, Deum magna cum celeritate eare exsecuturum, quod in uniuersa regione Iudaica euenturum sit. 29. Sic superius idem vates dixerat: Nisi Deus O. M. reliquias quasdam, *velut ad nouam sementem*, nobis seruasset, Sodomitarum profecto et Gomorphaeorum fatum subiissemus.

30. Quid igitur nobis hic statuendum erit? *Hoc scilicet*, gentes profanas, quibus nihil minus curae erat, quam, ut sancte viuerent, a Deo tamen sanctas, idque propter fiduciam in Christo positam, reputatas; 31. Iudeos contra, qui sanctitatem e lege seruanda tam sollicite sectabantur, eam minime assecutos fuisse. 32. Qua de causa? quod non illa, sed hac potius ratione, Deo placere studuerunt. Impegerunt enim ad eum lapidem, ad quem tam multi offendunt, 33. ut apud Iesaiam Deus praedixit: „En! ego Sionem saxo superstruam, cui, tamen erunt, qui impingant, et rupi, in qua tamen erunt, qui labantur. Sed quisquis ea firmiter nixus fuerit, huic ab eo plane nihil periculi nasceretur.“

## CAP. X.

1. Sane equidem Iudeis, o carissimi, toto animo felicitatem summam et opto, et abs Deo precor. 2. Non possum enim eos non laudare propter magnam in Deum pietatem, nisi, quod hoc eorum studium caecum est, nec veritatis scientia nimitur. 3. Quam enim modum, quo Deus reconciliari sibi homines vult, nesciant, *seu potius scire*

no-

nolint, suam contra sanctitatem mordicus tueantur; quis miretur, eos ordini salutis, abs Deo constituto, se non subiecisse? 4. Mosaica enim disciplina in Christo finem habuit, cui qui quis confidit, is demum Deo vere placet. 5. Ac Moses de sanctitate, quae e lego seruatà exsistit, ita loquitur, vt dicat, „quisquis his praeceptis obedientiam praestiturus sit, eum aeternae felicitatis haud dubie participem fore“ 6. Sed apud eundem longe aliud sonant verba, quae de fiducia in Christo ponenda agunt: Ibi enim prohibet aduersarios Messiae secum cogitare de difficultate Messiae velut e caelo deducendi, quum tamen hic vere descensurus sit; 7. aut de difficultate eiusdem e sepulchro reuocandi, quum tamen is certissime ex eo sit reditus. 8. Ac statim quid subiicit? Scilicet „in promtu esse hanc de Messia amplectendo doctrinam, vt facile aliquis animo eam suscipere et ore profiteri possit.“ Atqui haec ipsa, non alia, est doctrina Euangelica, quam nos, eius legati, tradere solemus. 9. Quod si quis hanc de Domino Iesu doctrinam non vereatur palam profiteri, animoque vere persuasum habeat, eum abs Deo ex morte in vitam renocatum esse; is sane aeternam felicitatem consequetur. 10. Quicunque enim vera Christum fiducia amplectitur, is vere sanctus habetur, et quicunque hoc ore profiteri sustinet, aeternum beabitur; 11. quum diserte apud Iesaiam legatur: „Quisquis eo firmiter nixus fuerit, ei nihil omnino erit metuendum.“ 12. Neque enim hoc quidquam inter Iudeos et alias gentes discriminis seruat, quum idem omnium Dominus communis sit, qui summa benignitate omnes, qui supplices ad ipsum veniunt, complectitur. 13. „Quisquis enim, rursus haec vatis cuiusdam

ver-

*verba sunt) ad verum Deum preces direxerit, seruabitur.“* 14. Iam quomodo hoc homines facient, nisi ei fidem habuerint? Quomodo fidem ei habebunt, nisi de eo aliquid audierint? Quomodo porro de eo quidquam audient, nisi quis eos de ipso edocuerit? 15. Quomodo denique aliquis ipsos instituet, nisi ei doctrina commissa sit? *Vnde patet, mittendos a Messia legatos fuisse; vt iam olim praedictum erat: „Quam exoptati mihi sunt favoris diuini, et simul cum hoc bonorum omnium nuncii!“* — 16. Sed dixerit aliquis, non tamen omnes doctrinae salutari fidem habuisse; quippe quum iam Iesaias suo tempore conquestus apud Deum sit, neminem fere sibi docenti credere. — 17. Sane ita est; sed tamen vel hinc videmus, fidem ex institutione demum nasci, sicuti haec ex mandato et missione diuina nascitur. 18. Quaero igitur potius, an institutio illis infidelibus defuerit? *Minime vero: quippe quum, veluti de sole ac stellis Danides dicit, ita „docentium vocibus omnes regiones personuerint, ut eorum doctrina in extremos orbis terrarum angulos penetraret.“* 19. Porro quaero, an Iudei hoc de cunctis gentibus seruandis decretum ignorent? *Id quidem minime possunt. Primum enim Moses Deum loquentem inducit, „se populi sui aemulationem excitaturum esse, dum gentem rudem et incultam fauore suo dignetur.“* 20. Deinde Iesaias, multo adhuc et confidentius et luculentius, ita eum loquentem facit: „Facta est adeundi mei copia vel his, qui nullo mei studio ferebantur, et cognoscendi mei potestas iis adeo, qui me plane nescierant:“ 21. de Iudeis contra sic conquerentem: „Quotidie beneficia mea offerro, ac tantum non obrudo meo populo; sed is mihi resistit, eaque omnia temere respuit.“

CAP.

## CAP. XI.

1. Dicamne igitur, Deum huic populo suo nuncium plane remisisse? Absit hoc; *a me quidem*, qui et ipse Israëlista sum, ad Abrahami posteros me refero, et Beniaminum stirpis meae auctorem agnoscō; et tamen ad Christi sacra adductus sum. 2. Nihil profecto minus, quam populum suum Deus, tantopere in deliciis habitum, abiecit. An nescitis, quid in Eliae *historia* libri sacri narrent, quam acriter hic populares suos apud Deum accuset, 3. quum „eos, dicit, vatibus diuinis necem intulisse, aras, ipsi dicatas euertisse, et, quum ipse solus superestes manserit, ipsius quoque adeo vitae insidias struere?“ 4. Sed quid ei oraculo diuino respondetetur? *Verba haec sunt:* „Ego mihi secreui septem hominum millia, qui ad colendam Baalis imaginem adduci se minime sunt passi.“ 5. Ita et nunc per gratuitam Dei voluntatem reliquiae quaedam seruatae sunt. 6. Quod si *Iudeis* beneficio diuino contigit, *ipsorum* sane virtuti tribui non potest; alioqui beneficium beneficii naturam exueret. Sin eorum virtuti contigit; beneficii nomine venire non potest; alioqui virtus naturam suam perderet. 7. Quid igitur accidit? *Maior Israëlitarum pars*, quam quaerebat sanctitatem, *Deo probatam*, consecuta non est; sed minor illa, quam Dei misericordia seruauit, ad eam peruenit, caeteris istis naturali suae stupiditati vsque ad hanc diem relicts, 8. velut a vate praedictum est, „Deum iis immissurum sensus hebetes, vnde neque oculis quidquam videant, neque auribus audiant.“ 9. Dauides autem talibus optat, vt ipsa, quam sibi parassent, coena iis fraudi atque exitio sit, adeo vt ad ea mala offendant, quibus

E e

poe-

poenas scelerum debitas Deo exsoluant; 10. vt nihil omnino cernant, ac tergum ipsorum perpetuo *velut onere* incuruetur. 11. Num igitur eos propterea, dicam, impeguisse, vt prorsus caderent? Minime id quidem; imo per eorum contumaciam caeteris gentibus copia salutis facta est, vt ad hos aemulandos incenderentur. 12. Quod si eorum pertinacia reliquis gentibus emolumento est, et illorum tam pauci his tot commoda attulerunt; quanto maiora et plura haec erunt, si omnes resipuerint?

13. (Vobis enim hoc dico, quotquot Indæi non estis; et, quo certius est, me a Christo ad vos potissimum esse missum, eo feliciorem munera mihi mandati successum agnosco, 14. si mihi licet populares meos ad aemulationem vestri excitare, eaque re nonnullos saltem ex iis ad salutem aeternam perducere.) 15. Si enim eorum reiecio in reliquaram gentium omnium cum Deo reconciliationem vertit; quid, quaeso, aliud receptio, nisi quidam velut *vniuersorum* e morte in vitam redditus, habendus est? 16. Si porro velut frumenti primitiae sanctae sunt, massa quoque, inde confecta, sancta sit, necesse est; ac si stirps sancta fuerit, rami pariter erunt. 17. Iam quum horum quidam excisi sint, tu autem, velut oleaster, insitus eorum stirpi, radicis adeo ac pinguedinis oleae particeps factus sis; 18. noli, quaeso, ramos contemnere; quod si tamen feceris, *scias*, non a te radicem, sed a radice te sustineri. 19. Dices ergo fortasse, ramos excisos esse, vt thae insitioni locum facerent. — 20. Recte sane; propter perniciaciam hoc iis accedit; ergo tu fiducia in Christum stas; unde rursus sequitur, minime tibi altos spiritus gerendos, sed cautissime potius versandum

esse.

esse. 21. Si enim Deus ne naturalibus quidem ramis pepercit, vt tibi parcat, admodum equidem vereor. 22. Vide igitur, quanta sit Dei benignitas; sed idem tu contra, quantus eiusdem sit rigor, considera; rigor quideam aduersus rebelles *Iudeos*, benignitas autem aduersus te, si modo dignum ea te praebueris; alioqui enim futurum est, vt et ipse excindaris. 23. Nam et illi, versis vicibus nisi pertinaces esse perrexerint, rursus inseri possunt, quod Deo factu erit longe facillimum. 24. Si enim tu de oleastro naturali excisus, et oleae praeter morem insitus fuisti; quanto facilius illi, qui naturales rami fuerunt, inserentur arbori, quam iure suam appellare possunt? 25. Nolo enim vos, o carissimi, rem ignorare, vobis adhuc incognitam, ne nimium futuri perspicaces vobis videamini. Scitote igitur, partem modo Iudaicae gentis caecam et pertinacem fore, donec ad reliquarum gentium coetum Christianum et ipsi *Iudaei* accedant, 26. ac tota hinc natio ad salutem aeternam perueniat, vti etiam apud vatem scriptum legimus, „e Sione redemptorem affuturum, qui peruersitatem posterorum Iacobi auferat, 27. et hoc Dei cum ipsis foedus futurum esse, vt ipsorum delictis veniam impertiatur.“ 28. Quanquam igitur, si constitutum a Deo salutis ordinem spectare velim, vestra caussa eos odisse videar debere; tamen, si benignas Dei promissiones, iis olim datas, respiciam, magno in eos amore me ferri sentio. 29. Nunquam enim, (satis scio) Deum O. M. fauoris sui et beneficiorum, cuiquam destinatorum, poenitere potest. 30. Nam sicuti vos, olim a Deo alienissimi, propter illorum pertinaciam nunc ei reconciliati estis; 31. ita vicissim hi, qui nunc, arrepta per vestram conuersionem occasione, rebelles

facti sunt, aliquando et ipsi in gratiam recipi possunt. 32. Permisit quippe Deus, vt omnes ad tantam impietatem delaberentur, non alio sane consilio, nisi, vt, omnium misertus, tanto magis misericordiae suae magnitudinem illustraret. 33. O inexhaustum igitur sapientiae diuinae atque omniscienciae fontem! O decreta eius, non magis humanis mentibus peruria, quam vias ac rationes, quibus illa exsequitur! 34. Cui enim, eius mentem, datum fuit vñquam, perspicere? Aut quis ei fuit a consiliis? 35. Aut quis denique vñquam hominum eum beneficio aliquo prouocare potuit, cuius iam remunerationem ab ipso exspectet? 36. Imo vero ipse potius *vñus est rerum, atque adeo bonorum omnium verus fons, conseruator, ac finis summus, cui gloria ac maiestas summa in aeternum debetur.*  
Amen!

## CAP. XII.

1. Obtestor igitur vos, o carissimi, idque per haec tot tantaque, a Deo in vos collata, beneficia, vt vos ipsos ei offeratis veluti victimas, non mactatas (vt olim), sed viuas, sanctas, eique gratias, hoc est, vt verum animo cultum ei praestetis.  
 2. Neque indulgeatis genio huius saeculi, sed, aliam quasi personam induentes, mentem vestram serio sinite emendari, vt eo luculentius perspiciatis, Deum a vobis nihil postulare, nisi quod vere bonum, integrum, et perfectum sit. 3. Moneo enim vos omnes ac singulos, ex auctoritate munéris, a Deo benignissime mihi demandati, ne quis nimium sibi arroget, sed modestiae potius studeat, idque pro modo beneficiorum, quae quisque a Deo accepit. 4. Quemadmodum enim in uno corpore mul-

multa membra circumferimus, quae tamen non  
 iisdem omnia officiis funguntur; 5. ita et vniuersi  
 vnum *veluti* corpus Christi efficimus, singuli autem,  
 alter alterius *quasi* membra sumus, 6. quamquam  
 caeteroqui, pro ratione donorum, *abs Deo* in nos  
 collatorum, varias ac diuersas dotes accepimus.  
 Siue igitur aliquis sacrorum librorum interpretan-  
 dorum dexteritate excellat, *is eâ* tali tantoque dono  
 conuenienter *vtatur*; 7. sine sacro munere fung-  
 gatur, in eo fidem approbet; sine publice doceat,  
 huic officio accurate praesit, 8. siue ad alios mo-  
 nendos *praeципue* aptus sit, id recte et ex animi  
 sententia faciat; siue pauperibus largiatur aliquid,  
 ingenuo id animo exsequatur; siue coetui cuidam  
 sacro *praefectus* sit, diligentem se eo in officio  
*praebeat*; siue denique aegrotos curandos suscep-  
 perit, libenter ac promte *hac opera defungatur*.  
 9. Omnino amorem *aliis* haud fictum *praestate*;  
 omnem turpitudinem odio habentes, honestatem se-  
 ctantes. 10. Mutuo item vos amore inuicem pro-  
 sequimini, honore inuicem exhibendo alias alium  
*praeuenientes*. 11. Neque segnes in officio *vos*  
*praestate*, sed magno potius animi sancti ardore  
 Dominum *vestrum* colite, 12. idque spe *futuro-*  
*rum bonorum* laeti, in rebus angustis patientiae  
 studiosi, et precibus assidue vacantes. 13. Caete-  
 rum egestati piorum hominum subuenientes, et ho-  
 spitalitatis haud immemores, 14. vel ipsis inimi-  
 cis vestris bona quaeque, bona, inquam, non  
 mala, precamini, 15. laeta pariter ac tristia in-  
 ter vos habete communia, 16. concordi animo  
 este, neque altum sapite, sed cum modestis po-  
 tius hominibus conuersamini. Neque solis vobis  
 ipsis sapite, 17. nec malum pro malo reddite, sed  
 erga omnes honeste vos gerite, 18. si fieri posset,

quan-

quantum in vobis est, cum omnibus omnino hominibus pacem et concordiam seruat. 19. Neque iniurias, vobis, o carissimi, illatas, ipsi vlciscimini, sed *diuinæ vindicæ* locum concedite, quum ipse Dens, „ad se pertinere vindictæ ius, sequē ipsum meritas vnicuique poenas inflicturum,” alioibi dixerit. 20. Itaque potius inimicos vestros esurientes cibo, sitiens potu, reficite; qua benignitate quot in eos beneficia, tot *veluti* prunas ardentibus in eorum caput congesseritis. 21. Atque omnino vinci se a malis nemo patiatur, quin contrā quodvis malum bonitate sua vincat.

## CAP. XIII.

1. Magistratibus summis sine discrimine quisque pareat; neque enim magistratus ullus, nisi a Deo est, et quicunque nunc eo officio funguntur, pariter ab eo, sunt constituti. 2. Quisquis ergo iis non paret, constitutioni, a Deo factae, refragatur; quod qui fecerint, *iustissimas* sibi ipsi poenas contrahent. 3. Magistrati enim non recte, sed male agentibus terrori esse debent. Quos tu si tibi nolis esse formidini, fac, quod bonum est, tum ab iis probaberis; 4. sunt enim Dei ministri, vt virtutem inter mortales prouehant. Quod si male égeris, tum demum est, quod eos formides; quum non frustra gladium gestent: *Vt enim iam dixi*, Dei ministri sunt, qui sceleratos seueris poenis coérceant. 5. Vnde videtis, necessariam esse obedientiam, nec poenae modo vitandas, sed etiam Deo parendi causa praestandam. 6. Nam et ea ipsa de caussâ tributum iis soluitis, quum hoc ipsum illi assidue current, vt Dei vice in his terris fungantur. 7. Itaque singulis reddite, quae ipsis de-

debentur, tributa, vectigalia, honorem, et reue-  
rentiam. 8. *Caeterorum hominum nulli quidquam*  
*debetis, praeter mutui amoris officia; alios enim*  
*qui amat, summam is praceptorum legis praestitit.*  
9. Omnia enim illa ac singula praecepta, quae adul-  
terium, caedem, furtum, falsum testimonium,  
prauam cupiditatem prohibent, et similia uno  
illo, tanquam summam, continentur, ut alios aequae  
ac nos ipsos, diligamus. 10. Quum enim amor  
neminem laedi a nobis sinat, hinc, qui alterum  
amat, summo legis praecerto paret. 11. Idque  
nos tanto magis, par est, facere, quum tam in-  
signem eius rei opportunitatem nobis datam scia-  
mus, ac tempus esse, ut velut e somno expurgi-  
scamur. Multo enim iam propior nobis aeterna  
est felicitas, quam tum, quum Christo nomen daba-  
mus. 12. Abiit iam *inscitiae* nox, adest contra *scientiae* lux; ergo exuta pristini temporis vitiositate, or-  
natum Christianae virtutis, quaeso, induamus, 13. vi-  
tamque, hac luce dignam, agamus, *hoc est*, non co-  
missionibus, nec ebrietati, non Veneri, nec lasciuiae,  
non iurgiis ne caemulationi *indulgeamus*, 14. sed Iesu  
Christi Domini exemplum imitati, corporis curam  
geramus, ita, ut ne pruae cupiditates irritentur.

#### CAP. XIV.

1. *Caeterum, quos in usu ciborum paulo super-*  
*stitiosiores adhuc videritis, eos comiter, quaeso,*  
*accipite, nec de talium opinionum diuersitate inter*  
*vos contendite.* 2. *Alii enim omnibus promiscue*  
*cibis vesci, putant sibi licere, alii, adhuc dubi-  
tantes, nonni si oleribus vescuntur. 3. Qui igitur*  
*de vanitate discriminis inter cibos certus est, is flu-*  
ctuantem adhuc socium ne contemnat; quemadmo-  
dum

dum neque hic illum alterum audeat condemnare, quippe quem ipse Deus fauore dignum iudicet. 4. Quo enim iure tu, o superstitione condemnator, alienum seruum damnabis, quum is non tuo, sed domini sui periculo siue stet, sine labatur? Neque vero ille prores lapsurus est; Deus enim eius gradum firmare potest. 5. Rursus alii non quolibet die edunt cibum quemlibet; alii promiscue cibos capiunt; unusquisque modo videat, ut certo ea in re iudicio vtatur. 6. Qui alium alio sanctiorem diem iudicat, pietate in Deum ductus id facit; qui omnes dies pares habet, eadem causa impellitur. Qui omnia edit promiscue, cum reuerentia et gratiarum actione, Deo debitam, iis vescitur; pariter, qui ciborum discrimen statuit, propter Deum, et grato animo id agit. 7. Nemo enim nostrum sibi aut viuunt, aut moritur; 8. sed, si viuimus Christo, Domino vivimus; si morimur, eidem Domino morimur. Siue igitur viuamus, siue moriamur, huius toti sumus. 9. Neque enim alia de causa is necem occubuit, et, quum reuixisset, ad viuos rediit, nisi, ut et in mortuos et in viuos potestate summam exerceret. 10. Cur ergo vos, infirmi, sodales firmiores, aut cur vos firmiores, aut cur vos, prouectiores, timidiiores illos damnare audetis? quum quidem sciat is, nobis aliquando omnibus coram tribunali Christi standum fore? 11. Dens enim aperte olim edixit: „Ita ego viuam, ut omnes flexis me genibus adorabunt, vnoque ore Deum summum agnoscant!“ 12. Vnde liquido appetat, quemlibet nostrum suae, non aliorum, vitae rationem apud eum redditurum. 13. Ne igitur, quaeso, alias alium damnemus, sed hoc potius apud nos quisque decernamus, ut ne offensionem alter apud alterum, inconsiderate agendo, contrahamus. 14. Equidem,

dem, Christi beneficio, tandem didici, ac certissime iam scio, nihil omnino natura sua impurum esse, sed ei tantum, qui tale putet, tale fieri. 15. Sed si propter cibum alius abs te offenditur, non iam profecto agis, quod amor *Christianus* postulat. Ne igitur, quaeso, *incaute vescendo*, eum perde, pro quo tamen Christus mortem occubuit; 16. neque committite vos, vt ea re libertas vestra criminacionibus aliorum occasionem praebeat. 17. Neque enim caput religionis Christianae est in eo, vt liceat cuique edere ac bibere, quidquid lubet, sed potius in vitae sanctitate, concordia, et perpetua mentis serenitate, per Spiritum diuinum in nobis efficienda. 18. His rebus qui Christum colit, is demum et Deo placet, et hominibus longe est carissimus. 19. Pacem igitur cum aliis et utilitatem omnium communem sequamur; 20. nec propter paululum cibi opus Dei, *in aliis effectum*, euertamus. Omnia enim illa quidem in se bona et pura sunt, sed ei, qui cum alterius offensione iis vtitur, plurimum nocent. 21. Et satius tunc profecto fuerit, carnis ac vino plane abstinere, omnibusque omnino iis rebus, quibus alius offendatur, aut peccet, aut, de quibus adhuc dubitet. 22. Tu fortasse certus es in vera sententia? Recte facis, si isthac fiducia solus, et erga Deum vtaris; isque est felicissimus, qui ea, quae probat et facit, nec improbare, nec retractare post ipsum factum cogitur. 23. Tanto magis, qui dubitauerit, et tamen vescitur, erit vituperandus, propterea, quod, quidquid non satis certo ac firmo mentis iudicio peragitur, nefas habendum est.

## CAP.

## CAP. XV.

1. Debemus igitur nos; qui firmiores sumus, dubitantium infirmitati indulgere, neque in agendo nos ipsos et nostra commoda tantum respicere; 2. sed quisque potius caeterorum commodis sua studia attemperare, ut ita et priuatae singulorum et communis omnium utilitati inseruiatur. 3. Nam et Christus ipse non sibi tantum vni placuit, sed plane ita fecit, vt ipse in Psalmis loquens inducitur: „Quidquid mali accidere debuerat his, qui te, o Deus, conuiciis onerabant, id omne vndique in me irruit.“ 4. Omnia enim quae in libris sacris scripta sunt, ad nos monendos consignata reperiuntur, ut sacrarum litterarum exemplis ad patientiam confirmati, et ad solatium erecti, spem futurae felicitatis in nobis ipsis alamus. 5. Efficiat autem Deus ipse, patientiae omnis et solatii auctor, in vobis hoc, ut, ex mente Iesu Christi, alter alterum ferre discatis, 6. adeoque uno ore atque animo Deum et patrem Domini nostri, Iesu Christi, celebretis. 7. Mutuis igitur vos innicem obsequiis excipite; praesertim, quum Christus illustrandi Dei O. M. caussa, nos quoque parionnes amore complexus fuerit. 8. Aio enim, Iesum Christum primū Iudeorum commodis inseruisse, ut veracitas diuina, promissis, quae horum maioribus data fuerant, euentum suum habentibus, illustraretur, 9. deinde vero hac ipsa re quoque effecisse, ut nec caeteris gentibus caussae deessent celebrandae benignitatis diuinæ, quemadmodum ipse de se apud Davidem canit: „propterea se patrem suum multis gentibus patefacturum, eiusque laudes decantaturum esse.“ 10. Sic alibi easdem hortatur, „vt cum populo Israëlitico in societatem

tatem communis gaudii veniant.“ 11. Alibi rur-  
sus; „omnes populos Dei laudes canere, eiusque  
beneficia celebrare“ iubet. 12. Iesaias denique,  
„exoritum, ait, aliquem e Iessaei posteris, qui  
gentibus imperet, et in quo spem hae suam sint  
habitare.“ 13. Faxit autem Deus O. M. omnis  
bonae spei auctor, vt cum firma in ipsum fiducia  
ac spe certissimā, adiuuante diuini Spiritū vi  
potentissimā, laetum et tranquillum animum semper  
coniungatis.

14. Evidēm non dubito, o carissimi, vos quo-  
que ipsos, partim plena amore in alios pectora cir-  
cumferre, partim mentes magnā rerum diuinārum  
scientiā habere instructas, vt facile vos ipsi inni-  
cēm admonere possitis; 15. sed tamen paulo libé-  
rius, pro admonentis certe persona, *non primum docētis*, ex parte vobis scripsi, propter iniunctum  
mihi benignissimo Dei decreto legati munus, 16.  
quo minister Iesu Christi sum inter gentes huius  
terrārum orbis, qui doctrinā salutarem iis tradam,  
vt eae ipsae, me sacerdote, *veluti* victimae, per Spi-  
ritū diuinum consecratae, Deoque oblatae, tpla-  
cere huic possint. 17. Vnde videtis, me in hac  
religionis caussa, *de munere*, per Christum Iesum  
mihi mandato, recte gloriari. 18. Neque enim  
vñquam ausim iactare, quasi quidquam effecerim,  
nisi Christus me, velut instrumento, usus esset,  
in gentibus, ad ipsius religionem adducendis, id-  
que doctrina et miraculis, 19. quae non ipse mo-  
do vi Spiritū diuini perpetrarem, sed aliis quo-  
que eorum edendorum facultatem impertirer. Qua  
quidem re factum est, vt inde ab Hierosolymis et  
tractu circumiacenti ad Ilyricum usque felicissimo  
cum successu salutarem doctrinam trādiderim, 20.

eā

èa tamen, vel in summo eius propagandae studio,  
 modestiæ, vt ibi non dicerem, vbi de Christo iam  
 aliquid innotuisset, ne faciliorum laboris partem,  
 vbi alii iam docuissent, mihi viderer delegisse,  
 21. sed illud potius facerem, de quo apud Iesaiam  
 scriptum est, „fore, vt, quibus nihil ea de re in-  
 notuisset, hi oculis eam usurparent, et, qui nihil  
 de ea ante inaudissent, intelligerent.“ 22. Haec  
 igitur ipsa causa iam saepius me impediit, quo  
 minus ad vos venirem. 23. Nunc autem, quum  
 in his regionibus nihil agendum mihi videam su-  
 peresse, imo tot iam inde ab annis incredibili vos  
 inuisendi desiderio flagrârim; 24. quum in Hispani-  
 am proficiscar, ad vos veniam. Spero enim, in  
 transitu me vos visurum, et, postquam alloquias  
 vestris aliquatenus satiatus fuero, a vobis in illam  
 prouinciam deductum iri. 25. In praesenti qui-  
 dem Hierosolymam cogito, vt ad Christianos, ibi de-  
 gentes, munera, in ipsorum vsum collecta, perfe-  
 ram. 26. Placuit enim Christianis, per Macedo-  
 niam et Achiam dispersis, pecuniam colligere in  
 vsum pauperum Christianorum, Hierosolymis vi-  
 ventium; 27. placuit iis, inquam; et rectissime  
 placuit, quum his illi magno quodam debiti vin-  
 culo sint obstricti. A quibus enim beneficiorum  
 caelestium partem acceperunt, quidni his humana  
 quaedam bona impertiantur? 28. Hoc igitur nego-  
 tiuum quum perfecero, et hunc muneri mei *velut*  
 fructum tuto ad eos pertulero, in Hispaniam per  
 vestram urbem proficiscar. 29. quo tempore ad  
 vos, equidem, me, scio, cum ingenti beneficio-  
 rum Christi copia esse venturum. 30. Caeterum  
 vos, o carissimi, per Dominum nostrum, Iesum  
 Christum, et amorem mutuum, diuinitus in nobis  
 excitatum, rogo, velitis vestras pro me ad Deum  
 pre-

preces ardentissimas cum meis coniungere, 31. vt et ab impiorum Iudeorum insidiis, libero esse mihi liceat, et Christianis Hierosolymitanis opera mea, destinata ipsis, grata et accepta sit. 32. Ita enim demum, si Deus dederit, laetus ad vos veniam, et vestris alloquiis incredibilem in modum delectabor. 33. Deus O. M. pacis et concordiae auctor, vos omnes seruet, beat, ac tueatur. Amen!

CAP. XVI.

1. P. S. Caeterum commendo vobis Phoeben, foeminam Christianam, quae *adhuc*, multa Christianis Cenchreensibus officia praestitit, 2. vt eam sancte, quemadmodum sanctos decet, suscipiatis, et, quibuscumque in rebus auxilio vestro opus habuerit, adiuvetis. Nam et ipsa cum multorum aliorum, tum in primis Pauli vestri patrona exstitit. 3. Salutate meis verbis Priscillam et Aquilam collegas meos in propaganda Christi doctrina, 4. qui, vt me seruarent, ne capitis quidem periculum adire dubitarunt, et quibus non ego tantum, sed et omnium paene gentium sacri coetus, propter me, gratiam summam debent. 5. Salutate quoque ipsorum familiam, Christi sacris addictam. Salutate Epaenetum, amicissimum mihi, primum ex Achaeis Christianum; 6. Mariam, quae multa mea causa praestitit; 7. Andronicum et Iunianum, populares meos, ac mecum olim captos, ipsis insuper Apostolis de meliori nota cognitos, et ante me ad Christum conuersos; 8. Ampliatum, mihi propter Christum carissimum; 9. Vrbanum, collegam in munere a Christo mihi commisso, et Stachyn, amicissimum, 10. Apellem, multis propter religionem aerumnis ferendis exploratum; Aristobuli item

de

de familia Christianos; 11. Herodionem, popularem meum; e Narcissi, *liberti*, seruis, qui Christum colunt; 12. Tryphaenam et Tryphosam, erga Christianos liberalissimas; Persida carissimam, eadem laude conspicuam; 13. Rufum, virum sanctissimum, eiusque matrem, quam ut meam ipsius veneror; 14. porro Asyncritum, Phlegontem, Hermodorum, Patrobium, Hermem, cum eorum sodalibus; 15. Philogum, Iuliam, Nereum cum sorore, Olympiodoram, et omnes Christianos, cum his versantes. 16. Etiam vos ipsos inuicem sacris osculis excipite. Salutant vos omnes coetus Graeci, Christo dicati.

17. Id *vnum* adhuc vos moneo, vt caueatis autores rixarum et offendisionum, cum tradita vobis doctrina pugnantium, et eorum consortio abstineatis. 18. Tales enim non Iesum Christum, Dominum nostrum, colunt, sed ventri potius seruiunt, sùaque eloquentia et blanditiis homines rectos ac simplices decipiunt. 19. Ac vestrae quidem obedientiae, doctrinae Christi praestitae, fama ubique percrebuit. Qua de re quum admodum gaudeam; tamen nec vos minus sapientes ad res bonas, quam hebetes ad malas esse velim. 20. Deus certe, pacis auctor, breui mali daemonis aduersus vos conatus vanos et irritos redditurus est. Vobis fauor et auxilium Domini nostri, Iesu Christi *perpetuo* adsit! Amen.

21. Salutant vos Timotheus, collega, Lucius, Iason, et Sosipater, populares mei. 22. Nec minus ego, Tertius, cui Paulus hanc epistolam dictauit, idem piè facio. 23. Salutant vos Caius, qui me ac totum coetum sacram hospitio exceptit; Erastus

EP. PAVL. AD ROM. CAP. XVI. v. 24-27. 447

stus, urbis quaestor, et Quartus, popularis. 24. Fa-  
vor Domini nostri, Iesu Christi, vos omnes ac  
singulos adiuuet! Amen.

25. Is autem, qui vos confirmare potest in sa-  
lutari scientia ac doctrina Iesu Christi, quam ego  
tradere iussus sum, (reuelavit enim hic mihi a ca-  
num hoc, inde a mundi initio occultatum, 26. nunc  
autem demum patefactum, et ex vatum libris, di-  
rigente aeterni Dei sapientia, ab omnibus omnino  
gentibus, ad augendam ipsarum fiduciam, cogni-  
tum) 27. is igitur solus, sapiens, per Iesum Chri-  
stum in aeternum laudetur ac celebretur! Amen!

EPISTO.



EPISTOLA  
PAVLI AD CORINTHIOS I.

---

CAP. I.

1. Paulus, Iesu Christi legatus, ab hoc ipso ex  
Dei O. M. decreto missus, cum Sosthene, socio,  
2. coetum, Deo sacramum, qui Corinthis est, *hoc*  
*est*, eos, qui per Christum Iesum a sceleribus pur-  
gati, aeternam salutem sperant, et omnino omnes,  
quicunque Dominum nostrum, Iesum Christum,  
quocunque in loco, tum istic tum hic, venerantur,  
3. saluto, iisque fauorem ac felicitatem summam a  
Deo, patre nostro, ac Domino, Iesu Christo,  
precor.

4. Assiduas equidem Deo meo vestra caussa  
gratias ago propter beneficia, quae is per Chri-  
stum Iesum in vos contulit, 5. quam, huius ope,  
omni ex parte, linguarum donis et rerum diuina-  
rum

rum scientia abundetis. 6. I a enim doctrinae Christianae veritas inter vos confirmata est, 7. vt non modo nullum vobis miraculorum genus desit, verum et ipsi gloriosum Domini nostri, Iesu Christi, aduentum tranquillo animo exspectetis. 8. Qui quidem vos quoque ad mortem inculpatos conservabit, vt in sollemini eius iudicio recte aliquando stare possitis. 9. Num fidelis est Deus, qui vos ad communionem bonorum filii sui, Iesu Christi, Domini nostri, vocavit.

10. Sed per hunc ipsum Dominum nostrum, Iesum Christum, vos admoneo, o carissimi, vt, eandem doctrinam profitendo, et dissensiones caveatis, et firmiter eandem animi sententiam teneatis. 11. Certior enim per quosdam de Chloës familia factus sum, o mei, rixas inter vos ortas esse, 12. aliis quippe vestrū me, Paulum, aliis Apollonium, aliis Petrum, aliis denique Christum simpliciter se sequi, dictitantibus. 13. Quid? Num in partes *vnu*s Christus dissecatus est? Num Paulus pro vobis in crūcem actus? Num in Pauli verba, quām sacro fonte tingebamini, adacī estis? 14. Quām bene a me factum est, quod neminem vestrū, Crispo et Caio exceptis, sacro illo lauacro initiavi, 15. ne quis forte, me illo ritu aliū meipsum, diuinō honore colendum obtrusisse, existimet. 16. Sed tamen Stephanionem quoque cum suis eodem fonte tinxi; num præter hos alium quenquam, satis nunc reminisci non possum. 17. Neque enim me Christus *tam* ad initiantos sacro lauacro homines, quām ad propagandam inter gentes suā doctrinā emisit; idque modo, a sapientiae humanae legib⁹ plane diuerso, ne crux Christi vis et gloria euanesceret. 18. Hoc enim

Ff

ipsum

ipsum crucis verbum est, quod *impios ideoque perituros*, maxime offendit, quam contra nos *piis atque olim seruandi vere diuinam in eo vim ac virtutem reperiamus.* 19. Plane enim iam fit, quod per vatem Deus, olim faturum, minatus est, vt „eruditorum sapientiam et callidorum prudentiam deridendam omnibus propinaret.“ 20. Vbi enim, quae so, nunc profanarum gentium philosophi? Vbi Indaeorum doctores? Vbi humanà sapientia inflati disputatores? Nonne Deus, stultam esse hanc ipsam, ostendit? 21. Quum enim per suam sapientiam homines caeci et impii in sapientissima Dei consilia penetrare non possent; placuit huic, per doctrinam, quae stulta aliis videretur *quidem*, sed *nihil minus*, quam talis esset, seruare nonnisi hos, qui fidem ei habuissent. 22. Iudeis igitur hinc miracula postulantibus, Graecis illinc sapientiae acumen requirentibus, 23. nos contra nihil, nisi Christum, in crucem actum, *vtrisque occinimus*, quo sane fit, vt illi ringantur, hi rideant; 24. sed tamen ex *vtrisque*, qui ad meliorem frugem adduci se patiuntur, vere diuinam virtutem ac sapientiam eidem huic doctrinae inesse reperiunt. 25. Nam quod nobis stulte Deus facere videtur, id omnium hominum sapientiam; quod idem infirmiter, omnium hominum vim ac robur quam longissime superat. 26. Videtis v. c. quomodo vos ipsi ad veram religionem sitis adducti. Neque enim inter vos, o mei, sunt multi viri docti, multi principes, multi genere nobiles, 27. 28. sed de industria Deus sibi delegit eos, qui caeteris stulti, infirmi, ignobiles, contenti, ac nihil adeo viderentur, vt eos, qui sapientes, potentes, et nobiles ab aliis habentur, in ruborem daret, quin plane nihil esse ostenderet, 29. ne quis hominum aduersus ipsum altos spiri-  
tus

tūs sumeret. 30. Vos autem eius auxilio ad Christum accessistis, per quem vobis sapientia, delictorum venia, sanctitas et liberatio ab omnibus malis contigit, 31. non alio fine, nisi, ut fieret, quod a vate quodam homines iubentur: „Qui gloriari voluerint, scientia ac fauore Dei O. M. gloriantor.“

CAP. II.

1. Ego quoque ipse, quum ad vos, o dilectissimi, doctrinam Christianam traditurus, accessissem, nec sublimi eloquentia, nec philosophicis acuminibus vsus sum, 2. vt qui rerum aliarum omnium, praeter Iesu Christi, eiusque in crucem acti, scientiam dissimulare, certo consilio, constituissem. 3. Imo quum in magnis apud vos periculis versarer, summa modestia me intra fines meos continui; 4. neque doctrina mea ac sermones artificia rhetorum et humanae sapientiae commenta spirabant, sed divini spiritū auxilio et miraculis confirmabantur, 5. idque ea de caussa, ne vestra religionis scientia humā sapientiā, sed divina virtute niteretur. 6. Loquimur autem nos, Christi legati, de ea sapientia, quae in perfectiores cadat, non de ea, quam profitentur gentes, a vero Deo alienae, aut doctores Iudaici, qui mox in admiratione esse desinent; 7. adeoque diuinam potius tradimus, arcanam illam et reconditam, quam Deus O. M. ante mundum conditum, ad salutem generis humani tradendam destinauit, 8. quam nemo Iudaicae gentis procerum cognouit; neque enim, si cognouissent, Dominum illum gloriosissimum in crucem egissent. 9. Tradimus, inquam, ea, de quibus libri sacri haec verba adhibent: „Nemo

vnquam oculis vidit, nec auribus audit, nec mente complexus est ea bona, quae Deum amantibus ab ipso parata sunt.“ 10. Sed haec ipsa nobis Deus per Spiritum suum aperuit, qui quidem omnia, vel occultissima diuini numinis consilia penetrare solet. 11. Quemadmodum enim, quid quisque hominum cogitet, nemo scit, nisi ipse cuiusque Spiritus; ita nec arcana Dei consilia quisquam, nisi ipse Dei Spiritus, nouit. 12. Nos autem non ab humano aliquo, sed ab ipso diuino Spiritu instituti sumus, vnde beneficiorum, quae a Deo in vos profecta sunt, magnitudinem tanto luculentius intelligimus, 13. eademque palam exponimus eo sermonis genere, quod non humana sapientia, sed ipse sanctus Dei Spiritus nobis subministrat, resque adeo praternaturales verbis quoque inusitatis explicamus. 14. Homo enim, sibi relictus, diuinas res minime capit, imo pro nugis habere solet, nec vlo modo potest assequi, quum potius dinino quodam modulo metienda sint. 15. Sed quisquis diuinitus collustratus est, quanquam de caeteris omnibus iudicare potest, tamen ipse neminis iudicio submittitur. 16. Quis enim Dei mentem assequatur, aut adeo eum doceat? Nos igitur, quum Christi mentem assequamur, pariter a nemine iudicari possumus.

## CAP. III,

1. Ad me quod attinet, o carissimi, ego, quum vos non possem tractare vt homines perfectos et sanctos, sed vt sensibus deditos, et doctrinae Christianae, infantum more, adhuc rudes; 2. lacte vos, non firmiori cibo, nutriui; (neque enim hunc potuissetis, capere) qui id ne nunc quidem potestis, 3. quum ne nunc quidem firmiores, quam

quam antea, sitis. Si enim inter vos aemulatio,  
rixae, ac dissidia adhuc sunt, *vt sunt*, quae  
vos, nonne infirmi estis et humanis affectibus indulge-  
tis? 4. Si alias Paulum, alias Apollonium sequi se  
profitetur; nonne leuitatis vestrae hoc indicium est?  
5. Quis igitur Paulus est, quis Apollonius, nisi  
ministri, quorum opera ad Christianam religionem  
adducti estis, ac ne hoc quidem, nisi eatenus, qua-  
tenus utrique Deus in hoc negotio adfuit? 6. Ego  
plantaui, Apollonius rigauit, *solus autem Deus in-*  
*crementum dedit.* 7. Ergo nec plantanti, nec ri-  
ganti, sed vni Deo, incrementum largito, laus de-  
betur. 8. Imo, et qui plantauit, et qui rigauit,  
pro uno tantum reputandi sunt; vterque pro labo-  
ris ratione mercedem suam ablaturus. 9. Vterque  
nos enim Dei vnius operarii duo sumus; vos con-  
tra eiusdem velut ager atque domus quaedam estis.  
10. Evidem, pro auxiliis, mihi abs Deo praestiti,  
ratione, prudentis architetti more, *aedificii istius*  
*fundamenta ieci;* alii eidem superstruunt, qui-  
bus sane, hoc facturis, quid et quomodo super-  
struant, videndum fuerit. 11. Fundamentum qui-  
dem aliud, praeter id, quod semel iactum est, *hoc*  
*est, doctrinam de Iesu Christo, iacere, nemini un-*  
*quam licebit.* 12. Huic autem utrum ali aurum,  
argentum, et gemmas, an ligna, grama, et sti-  
pulas imposuerint; 13. ex ipso cuiusque opere sa-  
tis intelligetur; tempus enim eius' pretium patefa-  
ciet tum, quem incendium ingruerit, quod quidem,  
qualis cuiusque opera fuerit, luculenter ostendet.  
14. Quod si cuius materia, fundamento superstru-  
cta, in igne perduravit, mercedem ipse accipiet;  
15. sin flammis fuerit consumta, merces peribit,  
ipse tamen, licet ambustus, ex ea flamma saluus  
euadet.

16. An, queso, nescitis, coetum vestrum *tale*  
 Dei templum esse, ac Spiritum diuinum inter vos  
 habitare? 17. Quod si quis, excitandis dissidiis,  
 templum hoc Dei enerterit, hunc ipse Deus ener-  
 tet; eius enim templum (de vobis loquor) sanctis-  
 simum est. 18. Neque vero doctorum vestrorum  
 quenquam falli *hac in re* velim. Nam si quis  
 humanà apud vos sapientià sibi videtur excellere,  
 eum, vt diuinam sapientiam consequatur, huma-  
 nam prius oportet dediscere. 19. Nam humaria  
 haec saeculi sapientia stulta apud Deum habetur,  
 qui, vt *in libris sacris* scriptum est, vel callidis-  
 simos in media fraude deprehendit,“ 20. et „Va-  
 nitatem consiliorum, quae sapientes moliuntur,  
 optime nouit.“ 21. Nemo itaque propter alios se  
 iactet *doctores*; omnes enim *vestrā* caussā laborant,  
 22. siue Paulus, siue Apollonius, siue Petrus; siue  
 mundus adspectabilis, siue vita, siue mors, siue  
 praesentia, siue futura; omnia haec, *inquam*, *vestra*  
 sunt; vos autem Christi, Christus denique Dei.

## CAP. IV,

1. Nos vero nemo alios esse existimet, nisi mi-  
 nistros Christi, et procuratores Dei, quibus hic  
 arcana sua commiserit, 2. et in quibus hoc pree-  
 caeteris requiri solet, vt fideles se exhibeant. 3. Mihi  
 certe perinde est, vtrum a vobis, an ab aliis homi-  
 nibus de me fiat iudicium; neque tamen ideo me  
 ipse laudauerim. 4. Nam etsi nullius mihi *culpae*  
 sum conscientia, tamen propterea plane insontem me  
 esse, minime puto; sed a solo domino *meo* laudem  
 exspecto. 5. Ergo nec vos, queso, ante diem  
 feratis iudicium, donec Dominus adfuerit, qui, de-  
 tectis, quae iam occulta sunt, et patefactis cuius-  
 que

que mortalium consiliis, debita quemque laude exornet. 6. Haec ego vestra caussa, o carissimi, de me et Apollonio, figurato sermone scripsi, ut nostro exemplo cauere discatis, né quis de se magnificientius statuat, quam supra scripsi, neque alterius quisquam caussâ contra alios efferatur. 7. Quis enim te, o talis doctor, p̄ae aliis extulit? Num tu ipse? Quid igitur habes, queso, quod non aliunde acceperis? Si autem hoc, cur te iactas, quasi non aliunde haberet? 8. Vos vero, auditores, video, iam plane saturatos esse scilicet, satis diuites, reges adeo, idque sine nobis, factos. Utinam id quidem, ut nos quoque in istius regni societatem veniremus! 9. Nam in praesenti quidem nos Deus, legatos suos, veluti supplicio addictos, infra omnes reliquos mortales videtur abiecisse, quum, tanquam in theatro, et hominum, et naturarum caelestium, et totius paene vanuersi oculis nos exposuerit. 10. Nos enim, propter Christi doctrinam, stulti habemur, vos in ea multum profecisti; nos infirmi, vos robusti; vos honoramini; nos contemnimur. 11. Nos a longo inde tempore ad hunc diem esurimus, sitimus, nudi agimus, verberamur, circumagitamur, 12. laboramus, nostris manibus victum quaerere cogimur; connuiciis proscissi bona verba, vexati patientiam, 13. contumeliis affecti, cohortationes adversariis opponimus; ut breuiter dicam, veluti piaula terrarum orbis communia ac purgamenta, vel nunc, tractamur. 14. Atque haec non ideo scripsi, ut vos in ruborem coniiciam, sed ut tanquam filios carissimos admoneam. 15. Quantumuis enim innumerabiles religionis Christianae doctores habetis: tamen non multos patres, vti me, habetis. Ego enim vos huius religionis ope, Christo ipso

iu-

iuvante, *velut* genui; 16. *unde idem vos hortor, vt meum exemplum imitemini.* 17. *Propterea quoque Timotheum, filium meum dilectum ac fidem, et ipsum Christi cultorem, ad vos misi, qui mea vobis consilia in propaganda salutari doctrina in memoriam renocaret, et, quam docendi rationem in omnibus sacris coetibus sequerer, expone ret.* 18. *Et tamen, quasi ego ad vos venturus non essem, quidam inaniter se extulerunt.* 19. *Sed mox ad vos veniam, si Deus dederit, nec tam in eloquentiam tam vanorum hominum, quam in animum atque opera, inquiram.* 20. *Neque enim in verbis, sed in re atque effectu, religionis Christianae vis cernitur.* 21. *Vtrum igitur mauntis? Cum ferula ne ego, parens vester, ad vos veniam, an cum lenitate et animo paterno?*

## CAP. V.

1. *Omnino enim fama percrebuit, scortationem inter vos committi, eamque talem, qualis ne apud profanas quidem gentes reperiatur, adeo, vt quidam cum nonerca sua rem habeat.* 2. *Ac vos animo etiam efferi, nec potius lugere, et curare, vt, qui tale flagitium perpetrauit, ex coetu vestro efficiatur?* 3. *Equidem certe, quamuis absens, animo tamen praesens, tanti facinoris auctorem, iam decreui, non secus, ac si coram adessem,* 4. *Domi ni nostri Iesu Christi iussu ac nomine, vobis, animo meo, et vi diuina eiusdem Iesu Christi, Domini nostri, in unum *veluti* congregatis,* 5. *mali daemonis potestati tradere sic, vt, extincta in corpore flamma insanæ libidinis, animus hominis, in ultimo illo Domini Iesu die, saluus et incolumis seruetur.* 6. *Haene igitur sunt praeclaræ illæ laudes*

des vestrae? An nondum scitis, panulum modo fermenti omnem farinae massam penetrare? 7. Excite itaque vetus istud fermentum, ut nona *veluti* massa sitie, siquidem hoc maxime tempore fermento omni carere debetis, quo Christus, agnus noster festus, pro nobis mactatus est. 8. Vnde festi hi dies non cum fermento, *hoc est*, scelere et flagitiis, sed sine fermento, *hoc est*, vera virtute ac pietate, nobis erunt transigendi.

9. Scripsi vobis iam nuper aliquà epistola, ne cum scortatoribus connversaremini; 10. quod profecto non de scortatoribus absolute omnibus, etiam ex profanis, aut de auaris, vel rapacibus, vel simulacrorum cultoribus intellectum vulneram; alioquin ex terrarum orbe vobis plane esset excedendum. 11. Nunc igitur ita hanc legem circumscripdam volo, vt, si quis, qui Christianum se profiteatur, scortatorem, aut auarum, aut simulacrum cultorem, aut calumniatorem, aut ebriosum, aut rapacem se gesserit, hunc ne conuictu quidem dignemini. 12. Quid enim? Egone, vt de iis, qui de coetu nostro non sunt, iudicium mihi arrogem? Nonne et vos ipsi de nostris tantum iudicium fertis? 13. Externi igitur illi Deum indicem habebunt; vos modo facite, vt maleficus iste quamprimum e coetu vestro eiiciatur.

## CAP. VI.

1. Caeterum miror, esse inter vos, qui, literam cum aliis habentes, rem non ad Christianos, sed ad profanos iudices deferre audeant. 2. An nondum didicistis, a sanctis olim impios indicatum iri? Quod si ita est, vosne adeo indigni estis, qui  
ne

ne de minutissimis quidem caussis sententiam feras? 3. An neque hoc scitis, daemones aliquando a nobis iudicandos esse? nedum huius vitae negotia? 4. Atqui quum tales inter vos caussae iudicandae sunt, vos eiusmodi homines iudices vobis imponitis, quos nemo Christianorum vnus assis aestimet. 5. Cum pudore vestro quaerere è vobis cogor: adeone inter vos ne vnuus quidem tantum sapit, vt ortam inter duo Christianos litem possit dirimere? 6. sed coguntur hi in ius se vocare invicem, idque apud homines, a Christo alienissimos? 7. Omnino quidem iam id ipsum apud vos vitiosum est, quod lites iniucem exercetis. Quidni enim iniuria potius vos sinitis affici? quidni potius bonis spoliari? 8. Imo ipsi alios, eosque Christianos, lacerassis atque spoliatis. 9. An nescitis, iniustos aeterna felicitate nunquam potituros? Aio igitur, ne forte erretis, nec scortatores, nec simulacrorum cultores, nec adulteros, nec molles, nec cinaedos, 10. nec fures, nec auaros, nec ebriosos, nec maledicos, nec raptiores, aeternae salutis participes fieri vnuquam posse. 11. Atque tales fuisse e vobis nonnullos constat; sed his iam cordibus purgati, sed iusti declarati, sed sancti redditii, illud per Dominum Iesum, hoc per Spiritum diuinum, estis.

12. *Omnia mihi facere licet, aliquis huc forte dixerit.* — At non prosunt omnia. — Omnia mihi permissa sunt. — At me pudeat, vlli rei sic alligari, vt ei seruam. — 13. Cibi usus, porro diciens, sine discriminē ventri alendo, venter concoquendis cibis destinatus est, et vtraque Deus aliquando destruet. *Quidni et sic in usu libidinis?* — At huius longe alia ratio est. *Corpus humanum*

Deo

Deo sacrum non libidini, Deusque illius Dominus est; 14. idemque non modo Dominum *Iesum* de mortuis excitauit, sed et vos aliquando potentia sua in vitam reuocabit. 15. An nescitis, corpora vestra Christi membra esse? Egoen igitur huius membra auferam, vt meretricis membra fiant? Absit hoc quidem longissime! 16. An porro nescitis, qui ad meretricem se applicet, eum cum hac vnum *quasi* corpus efficere, fere vti *Moses* vxorem et maritum vnum corpus appellauit? 17. Qui contra ad Deum se applicat, cum eo vna *veluti* mens est. 18. *Vnde cogitur*, omnem plane libidinem summopere vobis fugiendam esse. Quidquid enim sceleris homo aliquis commiserit, extra corpus solet committere; libidinosi autem in se ipsos flagitium admittunt, 19. An denique nescitis, corpus cuiusque vestrum esse quoddam Spiritus diuini sacrarium, qui inter vos habitat, et quem ab ipso Deo accepistis? ideoque nec plenam vestri potestatem vos habere? 20. Magno enim pretio quum in alienam potestatem transieritis; opera sane vobis danda est, vt et corpore et animo Deum O. M. ad quem vtrumque il- lud pertinet, rite celebretis.

### CAP. VII,

1. Quod vero ad illa attinet, de quibus per literas ex me quaesiistis, *primum*, etsi satius esse existimo, cum foemina rem omnino non habere; 2. tamen, libidinis *vitandae* causa, quilibet suam vxorem, quaelibet suum maritum habento. 3. *Deinde*, debitam tori consuetudinem neque vxori maritus, neque marito vxor, neganto. 4. Neque enim corporis sui potestatem vxor, sed maritus, nec vicissim sui maritus, sed vxor, habent; 5. *vnde*

*vos,*

vos, nolim, hoc iure vos fraudare inuicem, nisi  
 forte, facto consensu, nec, nisi aliquandiu, et ie-  
 iunio ac precibus vacandi caussa; sed statim rur-  
 sus coire, ne malus daemon vos ad libidinem inci-  
 tet, si forte abstinentiam diuturnam ferre non pos-  
 sitis. 6. Haec tamen suassisse tantum velim, non  
 imperasse. 7. Vellem sane equidem, in hoc genere  
 omnes mei similes esse; sed Deus alias natu-  
 rae dotes, suam certe cuique, attribuit. 8. Porro  
 caelibibus ac viduis satius est quidem, ei meum  
 exemplum sequantur: 9. sed si abstinere Venere  
 non possunt, nubant; quam multo praestet nubere,  
 quam libidine vexari. 10. Tum his, qui iam ma-  
 trimonio iuncti sunt, Deus praecepit, non ego, vt  
 nec vxores a maritis discedant, 11. sed, si coactae  
 sint discedere, vel caelibes maneant, vel cum ma-  
 ritis in gratiam redeant; nec mariti cum vxoribus  
 diuortium faciant. 12. Caeteris contra ego, non  
 Deus, suadeo, vt, si quis Christianus vxorem non  
 Christianam habeat, eaque non nolit cum ipso versari,  
 is eam ne dimittat; 13. rursus, quaecunque vxor  
 Christiana maritum habet non Christianum, qui  
 cum ipsa viuere non recuset, ab eo ne discedat.  
 14. Altera enim pars, a sacris nostris aliena, per  
 alteram veluti consecratur; alioqui liberi vestri im-  
 puri essent, quos tamen sanctos esse constat. 15.  
 Si pars non Christiana se ipsa segregauerit, id  
 sibi habeat. Tum enim maritus Christianus aut  
 vxor illo offici veluti vinculo soluti sunt. Atque  
 omnino ad concordiam colendam Deus nos condi-  
 dit. 16. Incertum est enim, annon vxor maritum,  
 vel maritus vxorem ad veram religionem adductu-  
 rus sit? 17. Omnino autem unusquisque, in qua  
 ipsum statione Deus collocauit, in ea permaneat;  
 quam ego regulam omnibus sacris coetibus soleo

prae-

praescribere. 18. Circumcisus aliquis ad nos se-  
contulit? Circumcisionis signa ne, queso, oc-  
cultet. Incircumcisus ad nos venit? Ne, queso,  
se circumcidat: 19. Nam nec circumcisio quid-  
quam hic iuuat, nec praeputium quidquam nocet;  
vna legum diuinarum reverentia viramque pagi-  
nam facit. 20. Quilibet igitur, vt iam dixi, qua  
in statione ad Christum accessit, in ea maneat. 21.  
Seruus accessisti? Nihil est, quod propterea labo-  
res; sed nec, si, libertatis consequendae oppor-  
tunitatem nactus, hac potius vtaris, ego vitio tibi  
verterim. 22. Nam et seruus, qui Christo nomen  
dedit, huius liberus est; et liber quisque, qui  
idem fecit, Christi tamen seruus manet. 23. Quum  
igitur tam insigni pretio redempti sitis; ne, queso,  
mutando vitae genere, hominum libidini serniatis;  
24. sed quisque, (*tertium iam repeto*) in quo vitae  
genere, o mei, vos Christiana offendit religio, in co-  
dem manentes, Deum O. M. colatis. — 25. De vir-  
ginibus porro mandatum a Domino meo nullum  
habeo, sed consilium dabo, quum hoc ille mihi be-  
neficium tribuerit, vt fidus eius interpres essem. 26.  
Caelibem igitur aliquem manere, non tantum pro-  
pter imminentes nobis calamitates, verum etiam  
omnino utile esse, arbitror. 27. Et, quisquis es,  
si vxorem habeas, diuortium ne cogites; sin uxo-  
rem quounque modo amiseris, aliam ne quae-  
ras. 28. Quamuis enim nec tu, nec virgo illa,  
peccatis, si matrimonium ineatis; tamen, quibus  
facere hoc placuerit, plus caeteris calamitatis in  
se ac suis experientur, quo supersedere vos equi-  
dem peruelim. 29. Omnino enim sciatis, tem-  
pus quietis, quod nobis restet, breve admodum  
fore; venturum contra illud, quo eadem futura sit  
conditio habentium vxores, et non habentium, 30.

moe-

moerentium ac non moerentium, laetantium ac  
 non laetantium, ementium ac nihil possidentium,  
 31. vtentium rebus huius vitae, ac non vtentium;  
 siquidem *tranquillus* hic rerum status neutiquam  
 erit perpetuus. 32. Ego autem vos quam mini-  
 mum sollicitudinis habere opto. *Christiani* enim  
 caelibes facilius res diuinis curant, ac Domino pla-  
 cere volunt; 33. matrimonio iuncti contrà magis  
 externas animo agitant, et vxoribus placere student.  
 34. Pariter vxores ac virgines differunt: hae rem  
 diuinam curant facilius, corporisque et animi san-  
 ctitatem sectantur: illae contra de externis rebus,  
 in primis maritorum amore sunt sollicitae. 35. Haec  
 autem omnia, *vti iam dixi*, vestri ipsorum com-  
 modi causa moneo, neque *ut vincula vobis non*  
*necessaria iniiciam*, sed *ut decore, apte, ac sine impe-  
 dimentis Deum colere possitis*. 36. Quod si quis de-  
 decori filiae suae virginis fore putet, si vegetam ae-  
 tatem excedat, eaque, ob *commodam aliquam occa-  
 sionem*, elocanda ipsi necessario videatur; faciat,  
 quod lubet, non peccat; nubant licet. 37. Qui  
 autem paulo firmiori animo est, neque causam  
 necessariam videt, neque *alias impeditur*, quo mi-  
 nus suum iudicium sequatur, sed potius filiam  
 suam domi retinere firmiter decrevit; is profecto  
 rectissime in eo agere censendus est. 38. Ut bre-  
 viter complectar, qui filiam elocat, recte; qui non  
 elocat, multo rectius facit. — 39. *Denique* fœ-  
 mina, *a viro dimissa*, quamdiu maritus in viuis  
 fuerit, lege Christi (*Matth. 19, 9.*) tenetur; mor-  
 tuo autem illo, libere, cuicunque vult, nubere pot-  
 est, dum Christiano homini nubat. 40. Melius autem  
 sibi consulat, si caelebs manserit, ex mea quidem  
 sententia; video autem et ego mihi diuinitus esse  
 inspiratus.

CAP.

CAP. VIII.

1. Ad sacrificia vero profanorum Deorum quod attinet, scimus sane, (nam rerum diuinarum scientiam omnes habemus, quae, *si sola est*, inflat, amori *iuncta* demum prodest; 2. vnde, qui scientia sua superbit, eo ipso, se talem nondum esse probat, qualis esse debet; 3. qui contra amorem ei adiungit, et ipse abs Deo probatur;) 4. de victimarum igitur esu sic statuimus, nihil esse Deorum simulacra, nec ullam alium Deum, praeter unum. 5. Etsi enim plurimi, tum in caelo, tum in terra hoc nomine appellantur, (multos quippe Deos, ac multos Dominos vocari constat) 6. nobis tamen non nisi unus Deus, idemque pater est, qui hoc vniuersum, *in eoque* nos suâ caussâ condidit; atque unus Dominus, Iesus Christus, per quem cum omnino omnia, tum nos in primis conditi sumus. 7. Verum non omnes his de rebus certi sunt; sed quidam, simulacra illa verè Deos esse rati, adhuc tanquam victimis Deorum, illis carnibus vescuntur, eaque re animum, nondum satis firmum, inquinant; 8. quanquam nihil minus Deo nos commendat, quam cibi; neque enim, quum aliquid edimus, meliores, neque, quum abstinemus, deteriores euadimus. 9. Vos modo videte, ne libertas vestra alios infirmiores offendat. 10. Si quis enim homo vos, verbi caussa, qui meliora estis edocti, in sacrario ad mensam accumbentes viderit; nonne infirmus eius animus ad descendum illis victimarum carnibus inducetur, 11. et hoc pacto, propter certam illam vestram scientiam, bonus ille Christianus, nondum satis confirmatus, propter quem tamen et ipsum Christus mortem occubuit, detrimentum salutis fortasse,

ca-

capiet? 12. Quod si sic in aliis Christianis peccando, infirmam eorum mentem offenditis, in Christum ipsum peccatis. 13. Me quidem, si cibo, a me capto, alium Christianum offendiverem, nemo vnuquam ad carnes edendas adduceret, ne ille, meo inductus exemplo, leges diuinæ violaret.

## CAP. IX.

1. *Quid vero?* Nonne Christi legatus sum? Nonne liber? Nonne Iesum Christum, Dominum nostrum, his oculis vidi? Nonne vos meum quodammodo, Deo fauente, opus estis? 2. Quod si aliis legatus diuinus esse minus fortasse videar, at vobis saltem certò videri debo, qui muneras, a Deo mihi mandati, *veluti* sigillum estis. 3. Ac me quidem vituperantibus, opposita mei defensio haec esto. 4. Nunquid igitur non habemus potestatem edendi ac bibendi, *quidquid lubet*? 5. nec potestatem circumducendae vxoris, quod et reliqui collegae nostri, nominatim Christi consobrini et Petrus, faciunt? 6. An solis nobis, mihi et Barnabae, victus, manu quaerendi, onus imponetur? 7. Quis suo vnuquam sumtu militauit? Quis vineam plantat, nec vuas, inde decerptas, comedit? Quis gemmam pascit, nec lacte eius vescitur? 8. Atque haec omnia vtrum e communi tantum sensu vobis probbo, an, etiam diuina lege præcepta esse, docere possum? 9. In Mosis quidem libris „bobus triturantibus os obturare“ disertis verbis domini vetantur. 10. Num fortasse haec bonum modo, an et nostra omnino causa Deus scribi iussit? Sane propter nos quoque; quam, quisquis arat, frumenti colligendi, quisquis autem frumentum

tri-

triturat, victus sperati caussa id facere debeat.  
 11. Nos itaque, si caelestium bonorum semina in-  
 ter vos sparsimus, num magni habendum fuerit,  
 si huius vitae commoditates quasdam a vobis per-  
 cipiamus? 12. Si alii hac in vos potestate vsi sunt,  
 quidai nos multo magis? Et tameti hac potestate  
 vti non solemus, sed omnia aequo animo ferimus,  
 dum ne Christi doctrinæ impedimenti quidquam  
 obliuiciamus. 13. An nescitis, qui sacris apud Iu-  
 daeos operentur, eos sacris carnibus vesci? et qui  
 aerae perpetuo adstant, ex ara quoque sustentari?  
 14. Pariter Christus doctrinam suam tradituros, ea  
 tradenda victum iussit quaerere. 15. Ego tamen,  
 vti iam dixi, nullius inquam harum rerum omnium  
 potestate vsus sum, neque haec commemo-  
 raui, vt, in posterum ei me vti velle, significem.  
 Citius enim emori velim, quam hac moderationis  
 laude priuari. 16. Nam, si religionem Christi sim-  
 pliciter propagauero, nihil est, quod magnopere  
 glorier, quum id et necessario mihi faciendum, et,  
 si omittam, magna poena subeunda sit. 17. Siue  
 enim lubens fecero, mercedis inde noonihil aufe-  
 ram, siue inuitus, tamen, quia munus docendi  
 mihi impositum est, vel inuito erit faciendum.  
 18. Quid igitur praecepipi inde habebo, si lubens  
 faciam? Hoc nimirum, vt, quando doceo, ne  
 mini in me docentem impensaæ quidquam facien-  
 dum sit, id est, vt iure, mihi ex muneric. ratione  
 concesso, plane non vti. 19. Quanquam enim  
 nullius hominis arbitrio subiectus sum, tamen, vt  
 eo plures ad doctrinam Christi alicerem, omnibus  
 mea sponte me subieci. 20. Apud Iudeos Iudeum  
 egi, vt Iudeos mihi conciliarem; apud rituum Le-  
 viticorum sectatores pariter talem me praebui, vt  
 et hos adducerem; 21. apud profanas gentes le-

gem Iudaicam dissimulaui, (non, quo prorsus sine lege Deum colerem, qui potius et huic et Christo sum addictissimus, sed) ut profanos illos fauentes mihi redderem. 22. Apud infirmos infirmus videri volui, vt ne hos quidem a me abalienarem; denique in omnium me mores ac studia transformauit, ut aliquos omnino seruarem. 23. Idque adhuc facio propter doctrinam Christi, ut praemis ab hoc promissa consequar. 24. An nescitis, ex tot in stadio vestro currentibus non nisi vni praemium contingere? Vobis contra sic est currendum, ut omnes illud consequamini. 25. Quilibet porro, lucta apud vos decertaturus, summam tum continentia vtitur, idque propter sertum vile et marcidum. Nobis vero, qui aeternum, nec vnuquam peritum appetimus, quantam demum vtedum erit abstinentia! 26. Itaque et ipse curro, sed non caeco impetu, et ipse luctor, sed propterea aërem non verbero, verum corporis mei appetitus, vel innoxios, ita fraeno ac tantum non subigo, ut ne, dum alios doceo, ipse in eorum reprehensionem haud immerito incurram.

## CAP. X.

1. *Ad vos vt redeam, nolim sane vos esse immemores, o carissimi, maiores nostros, etsi omnes miraculosa nube in itinere tegebantur, et siccis mare pedibus transibant, 2. etsi omnes, hoc vtrisque moti miraculo, in Mosis verba iurabant, 3. et si porro omnes eodem miraculoso cibo vescebantur, 4. eodem miraculoso potu recreabantur, (bibebant enim de rupe, arcanum aliiquid, hoc est, Christum, ipsos comitantem, significante) 5. tamen maximam partem Deo displicuisse, quum eos in deser-*

tis

tis locis perire insserit. 6. Quem alium in finem haec putamus memoriae esse prodita, nisi ad nos monendos, ne praus, vt illi, cupiditatibus nos abripi sinamus? Itaque et vos nec illicita appetite, quemadmodum illi appetebant, 7. nec diuinos simulacrorum cultus probate, vt illi, quos Moses narrat, „ad edendum ac bibendum consedisse, ad impudicas autem saltationes surrexisse.“ 8. nec libidini indulgete, vt ex illis quidam; qua de caussa vno eodemque die tria et viginti eorum milia perierunt; 9. nec Messiae patientiam irritate, vt ex illis nonnulli, qui serpentum icibus occidebantur, 10. nec denique de religionis vestrae serieitate conquerimini, quod ex illis aliqui quum fecissent, ab angelo percussi interierunt. 11. Haec omnia, inquam, illis haud temere acciderunt, sed ad nos monendos conscripta sunt, qui in alteram ac posteriorem mundi aetatem incidimus. 12. Vnde quisquis vestrum firmo pede stare sibi videtur, huic ipsi maxime, ne labatur, prouidendum est. 13. Adhuc quidem non nisi leue et superabile peccandi periculum vobis accidit; sed grauiora instant, nisi quod Dei O. M. tantam esse fidelitatem scio, vt vos in nullum periculum, cuius propulsatio vires vestras excedat, patiatur incidere, sed omnibus malis eum det exitum, vt vos iis ne succumbatis.

14. Itaque, vt dixi, o mei, simulacrorum cultum quam maxime vobis fugiendum putate. 15. Loquor enim vobiscam, vt cum prudentibus, qui per se ipsi, quae loqnor, indicare possunt. 16. Calix ille sacer, a nobis consecratus, nonne cum Christi sanguine coniunctus est? Panis sacer, a nobis frangendus, nonne cum eiusdem corpore habet necessitudinem? 17. Vnde, quum eodem omnes pane vescamur, sicut

vnum ille panis est, ita et nos vnum corpus habendi sumus. 18. Videte, quae, Indeos; nonne, quicunque ex his victimarum, in arâ immolatarum, carnes edunt, cum arâ communionem se habere, profitentur? Ergo et vos cum Christo. 19. Quid iam porro dicam? Simulacrum ipsum, aut carnes, ei immolatas aliquid esse? Minime vero. 20. Imo hoc volo, quae profani immolent, non Deo, sed malis daemonibus, ab ipsis immolari. Nolim autem, vos cum his communionem villam habere. 21. Neque enim ex calice Domini et matorum daemonum simul bibere, aut in illius et horum mensâ simul coenare vobis licet. 22. An forte ii sumus, qui Deum prouocemus? Num potentiores eo sumus, ut poenas eius effugiendi spes nobis supersit? 23. Omnia nobis facere licet, (ita fortasse rursus dicitis) — At non prosunt vobis omnia. — Omnia nobis permissa sunt. — At alios non omnia emendant, 24. quos tamen omnino in agendo respicere, non modo vos ipsos, debetis.

25. Caeterum quidquid in macello carnium venditur, id omne edatis velim, neque curiose, vnde sit, quaeratis, ne alii offendantur. 26. Dei enim O. M. omnis tellus est, et quidquid eà continetur. 27. Etiam porro, si quis profanorum vos inuitârit, et vobis, venire ad eum, lubuerit, quidquid vobis apponitur, comedite, ne hîc quidem quaerentes quidquam curiosius, propter hospitis vestri falsam de Diis sententiam. 28. Sed si quis diserte, has victimarum carnes esse, affirmârit, tum demum iis abstînete, propter illum ipsum, qui id vobis indicauit, eiusque de iis opinionem. Aequê enim et hîc valet, quod modo dicebam, Dei O. M. telurem omnem esse, et quidquid eà contineatur.

29.

29. Opinionem autem intelligo non vestram cuiusque, sed aliorum; alioquin enim libertas mea cur ex aliorum sensu censeatur? 30. Quod si ego grato animo his cibis fruor, cur propter id ipsum, cuius caussâ *Deo* gratias ago, aliquis me reprehendat?

31. Vos igitur siue edatis, siue bibatis, siue aliud faciatis quidlibet, Dei colendi caussâ facite, 32. omninoque nec Iudeis, nec profanis, nec coetui Christiano vituperandi materiam suppeditate. 33. Pariter enim et ego per omnia placere omnibus studeo, nec tam mea, quam plurimorum commoda quaero, ut aeternam felicitatem consequantur,

### CAP. XI.

1. *Itaque, ut ego Christum, ita vos me, quaeso, imitemini;* 2. *quanquam laudandi mihi estis, o dilectissimi, quod per omnia mei meministis, et, quae apud vos institui, plane ita, ut institui, seruatis.* 3. *Scire ergo vos velim, cuiusvis mariti caput Christum esse, vxoris vero maritum, sicut Christi Deum.* 4. *Quilibet mas, quando preces fundit, aut ad sacram coetum verba de rebus diuinis facit, si caput operatum habeat, hoc caput dedecorat.* 5. *Omnis contra mulier, idem aperto capite faciens, et ipsa caput dedecorat, parque ei habetur, quae rasa sit.* 6. *Nisi enim velare caput velit, nihil sane impediat, quo minus etiam radatur.* Iam, si tonderi vel radi turpe sibi ducit; caput quoque velare ne grauetur. 7. *Maritus enim, ut caput operiat, opus non habet, quum et Dei imago sit, et eius maiestatem illustret.* Mulier contra mariti maiestatem

au-

auget. 8. Neque enim primus in orbe mas e foemina, sed haec ex illo, 9. neque porro ille propter hanc, sed haec propter illum creata est. 10. Debet igitur mulier aliquod virilis in se potestatis signum, propter emissos a profanis tam frequenter speculatores, in capite gerere. 11. Atque omnino neque maritus sine uxore, neque haec sine illo esse potest, sed uterque cum Christo coniuncti sunt. 12. Namque ut haec ex illo, ita et ille per hanc, omnia autem ex Deo originem habent. 13. Ipsi, queso, indicate, num foeminam aperto capite ad Deum preces debeat fundere? 14. Nonne ipsa potius natura vos docet, dedecere mares, commam alere, 15. foeminas contra idem decere vel maxime, quum coma iis a natura ipsa veluti pro velamine data sit? 16. Quod si quis fuerit hac in re iusto pertinacior, ille, nec apud nos, nec apud ullum coetum, Deo sacrum, ita fieri solere, sciat.

17. Verum enim vero, dum haec vobis commando in alio genere, cogor vehementer vos reprehendere, quod conuentus agitis, non modo non utiles vobis, sed et perniciosissimos. 18. Primum enim, congregato ad cultum Dei praestandum coetu, rixas, audio, inter vos agi, neque alienus sum ab eo, ut, aliqua certe parte, credam. 19. Necesse est enim, in factiones apud vos discedi, ut, quinam probi sint, qui minus, appareat. 20. Deinde in conuentibus vestris coena sacra, a Domino instituta, celebrari vix potest; 21. quum suam quisque coenam praesumat, et hinc alii esuriant, alii abunde esse impleant. 22. Nullasne priuatas domos ad laute edendum ac bibendum habetis? An coetum Deo sacrum adeo contemnitis, ut pauperiores in ruborem dare minime vereamini? Quid ego

ego ad haec? Num laudem? Hactenus certe laudare non possum.

23. Evidem ab ipso Domino accepi, quod etiam fideliter vos docui, scilicet, „Iesum Dominum, eā ipsā nocte, qua hostibus prodebat, sumtum panem, 24. praemissis precibus, fregisse, his verbis: Sumite, edite, hoc corpus meum est, pro vobis mox interficiendum; idque facite, ne mea apud vos memoria deleatur.“ 25. Sic, finita coena calicem sumsisse, his verbis: „Hic calix sanguis meus est, quo nouum foedus sancietur; vnde quoties biberitis, mei simul memoriam recolite.“ 26. Quoties igitur hunc panem comeditis, et ex hoc calice bibitis, toties necis Domini vestri praecones, ad finem usque rerum humauarum, agitis. 27. Quisquis enim irreuerenter hunc panem sumserit et ex hoc calice biberit, is, corpus et sanguinem Christi grauissime ab se violari, sciatur. 28. Ergo potius, animo probe explorato demum ad panem hunc edendum, et ex calice bibendum accedit. 29. Qui enim leui animo utrumque hoc faciunt, quum corpus Domini a vulgari cibo minime discernant, grauissimam Dei poenam, atque adeo perniciem veluti deglutiunt. 30. Vnde inter vos quoque tot aegroti languent, quin pars adeo non exigua per mortem abrepti sunt. 31. Si enim nos ipsi satis exploraremus, a Deo non castigaremur. 32. Nunc, quum hoc fiat, disciplinam hanc Domini paternam reputare debemus, qua caueatur, ne cum reliquis impiis in aeternum pereamus.

33. Quando igitur impostorum conuentus, celebrandae sacrae coenae caussā, habebitis, o carissimi, pauperes quoque illi epulo adhibeatis. 34. Qui vero

ila

*ita esuriunt, vt hos exspectare non possint, domi prius cibum capian, ne magno malo vestro conveniatis. Caetera, huc pertinentia, praesens ordinabo,*

## CAP. XII.

1. Sed nec de iis, qui inter vos diuino afflatus incitantur, sententiam meam ignorare vos velim, o dilectissimi. 2. Scitis, quum adhuc alieni a Christo essetis, vos ad adoranda muta ista Deorum simulacula a pessimo quoque temere abductos fuisse. 3. Iam vero haec duo a vobis probe velim notari: neminem, qui diuino Spiritu actus loquatur, in lesum conuicia effundere, neminem contra, qui hunc rerum omnium Dominum profiteatur, non actum eodem Spiritu diuino facere id posse. — 4-6. Quanquam porro magna varietas est diuinorum munierum, ministeriorum, et effectorum; tamen omnium unus idemque Spiritus, idem Dominus, idem Deus auctor est, qui omnia illa in omnibus efficit. 7. Omnibus autem inspiratis dona illa divini Spiritus ad aliorum salutem tribui solent. 8. Aliis enim per eundem Spiritum infunditur rerum diuinorum scientia, aliis Christianae vitae prudenteria, 9. aliis miraculorum patrandorum, aliis morborum sanandorum, 10. aliis daemonum eiicendorum, potestas, aliis vaticiniorum edendorum, aliis doctorum explorandorum, aliis variarum linguarum, aliis denique harum interpretandarum facultas; 11. omnia, inquam, haec, ab eodem Spiritu diuino profiscuntur, qui sua vi singulis pro arbitrio ea distribuit. 12. Quemadmodum enim unum idemque corpus humanum membra habet plurima, haec autem unius corporis membra, etsi numerosissima, tamen non nisi unum corpus efficiunt;

ciunt; ita eiam oetus, qui Christo sacratus est.  
 13. Nos enim omnes, per unum Spiritum, ut  
 unum corpus efficeremur, sacro fonte initiati su-  
 mus, siue Iudaei, siue non-Iudaei, siue serui, siue  
 ingenui, iidemque, ut uno veluti Spiritu anime-  
 mur, sacra coena vti solemus. 14. Neque enim  
 etiam *humani corporis* unum modo membrum, sed  
 plura sunt. 15. Quod si, *verbi causa*, pes, quo-  
 niam non sit manus, membrum ideo se esse  
 corporis, neget; num propterea esse desinet? 16.  
 Sic auris, si, quoniam oculus non sit, a corpore  
 segregare se velit; num ideo statim vere hoc fieri  
 poterit? 17. Si totum corpus oculis constet, quo-  
 modo audiemus? Si totum auribus, quomodo odo-  
 rabimur? 18. Nunc Deus membra omnia ac sin-  
 gula corpori pro arbitrio suo apposuit; 19. quae si  
 omnia unum modo membrum efficerent, quid de  
 toto corpore esset futurum? 20. Sunt igitur mem-  
 bra plura, corpus nonnisi unum, 21. Quam absurdum  
 vero esset, si oculus manu, aut caput pedi-  
 bus se facile caritum diceret? 22. Ea potius  
 membra, corporis, quae viliora nobis videntur, ae-  
 que, ac *reliqua*, necessaria sunt. 23. Ac nos ipsi,  
 quae dishonestiora putamus, ea, *contegendo velut*  
 in honorem adducimus, et ut quaeque talia sunt,  
 ita maximum iis honorem addere studemus. 24.  
 Quae contra honestiora sunt, ea minime opus est  
*contegi*. Verum hanc nostro corpori varietatem  
 Deus induxit, maiorem iis membris, quae deteriori  
 loco haberi solent, necessitatem ac pretium tribu-  
 endo, 25. ne corpus secum ipsum dissentiret,  
 sed ut, unum in finem, alia membra aliorum cu-  
 ram haberent. 26. Itaque, uno dolente, reliqua  
 simul dolent omnia; uno recreato, omnia simul  
 laetari quodammodo videntur,

27. Vos igitur etiam corpus Christi, ac singuli eius membra estis, 28. quorum alios Deus in sacro coetu constituit primum, quos Apostolos vocamus, deinde vates, alios porro doctores, tum miracula edituros, morborum vim depulsuros, aliis opem laturos, aliis praefuturos, denique variarum linguarum facultate instructos. 29. Num, quaeso, omnes sunt Apostoli? Num omnes vates? Num omnes doctores? Num omnes miracula edunt? 30. Num omnes morbos sanare? Num omnes diuersis linguis vti? Num denique has interpretari omnes possunt? 31. Igitur dona extraordinaria vobis ea maxime optate, quae sunt vtilissima; quam ad rem ego vobis viam longe certissimam monstrabo.

## CAP. XIII.

1. Equidem si omnibus et mortalium et caelitum linguis loqui possem, nec tamen amore alios prosequerer, non magis eorum felicitatem, quam aeg resonans aut tinniens cymbalum, adiuuarem. 2. Si porro facultatem vaticinandi nactus essem, et penetrassem arcana omnia, si omni scientiae genere excellerem, si denique miraculorum patrandorum facultate essem instructus, vt montes adeo, iussu meo euulsi, alio commigrarent, nec tamen amore *in alios essem praeditus, nihil, apud Deum certe, forem.* 3. Si denique, omnibus fortunis meis inter pauperes diuisis, corpus adeo meum *carnifici* comburendum tradicerem, haec autem sine amore facerem, nihil mihi quidem essent profutura. 4. *Solus amor est, qui mansuetum et affabilem se praebet, qui nemini inuidet, qui se non iactat, nec fastu intumescit;* 5. *qui nunquam honestatem violat, non suum commodum quaerit, non facile irritatur,*

tatur, non iniurias, sibi factas, in rationes refert,  
6. nec tam te iniuria, aliis illata, quam de bene-  
ficiā, in eos ab se profectā, laetari solet. 7.  
Omnia, quantum potest, excusat, omnia credit,  
omnia sperat, omnia denique sustinet. 8. Idem  
nunquam omnino cessabit, quanquam cessabunt  
vaticinia, cessabunt linguae, ac vitae Christianae  
prudentia olim cessabit. 9. Imperfecta enim est hu-  
ius vitae scientia, et huic vitae facultas vatici-  
nandi; 10. quae imperfectio nonnisi in perfectiori  
deum vita cessabit. 11. Sic ego, verbi caussa,  
quum infans adhuc eram, infantum more loquebar,  
delectabar, cogitabam; at postquam vir euasi, pue-  
rilia quaeque deposui. 12. *An nobiscum aliter age-  
tur in vita futura? Minime: Nunc enim, veluti*  
per speculum, obscuras videmus rerum imagines,  
olim autem res ipsas; nunc partes rerum singulas  
cognosco, olim autem ita res ipsas, quemadmo-  
dum abs Deo ego ipse cognoscor. 13. Quum au-  
tem perpetua in hac vita sint haec tria, fides, spes,  
amor; hic tamen postremus reliquas illas duas vin-  
eit quam longissimè.

#### CAP. XIV.

1. *Ergo amorem ante omnia sequimini, dotes  
vero illas diuini Spiritus extraordinarias vobis optare  
si libuerit, vaticinandi facultatem maximè expetite.*
2. *Qui enim peregrina lingua loquitur, non homi-  
nibus, sed Deo loquitur, siquidem eum nemo,  
ac ne se ipse quidem, intelligit.* 3. *Qui contra va-  
ticinatur, ea certe profert, quae ad erudiendos, co-  
hortandos, et consolandos alias pertinent.* 4. *Qui  
igitur peregrina lingua vtitur, sibi, qui autem va-  
ticinatur, vniuerso sanctorum coctui prodest.* 5.

Equi-

Evidem etsi nemini vestrum donum linguarum  
 invideo, malim tamen, vaticinandi vos facultate  
 instructos esse. Hac enim qui gaudet, maior haud  
 dubie est eo, qui alterum illud donum accepit, nisi  
 hic, auditorii instruendi caussa, interpretationem  
 notiori lingua adiunxerit. 6. Ego certe, o carissimi,  
 si ad vos peregrinis linguis loquerer, quid, quae,  
 vobis prodessem, nisi simul, (sive ut legatus diui-  
 nus, sive ut vates, sive ut prouectiorum, sive ut  
 rudiorum doctor ad vos veniam) ita loquar, ut in-  
 telligar? 7. Nonne in multis quoque instrumentis  
 ita se res habet? Sive enim tibiā canatur, sive ci-  
 ثارā, nisi haec cum quadam sonorum distinctione  
 moduletur, quomodo aliquis melodiam vtriusque  
 intelliget? 8. Nam tuba quoque, si eundem sem-  
 per sonum reddiderit, quis ad pugnam se accinget?  
 9. Pariter vos, nisi peregrinā linguā eiusmodi vo-  
 ces edideritis, quae intelligentur, quomodo sermo-  
 nem vestrum quisquam capiet ita, ut ne inanibus  
 verbis aērem verberasse videamini? 10. Sunt, verbū  
 caussā, tot in orbe terrarum linguae, quae omnes  
 possunt intelligi. 11. Nisi igitur vim verborum  
 sciam, ego et alius, qui inuicem colloquimur, bar-  
 bari, alter alteri, videbimus. 12. Sic et vos, quo-  
 niam dotes illas Spiritūs diuini tantopere soletis ex-  
 petere, ad Christiani coetus utilitatem, studete, ut  
 iis excellatis. 13. Qui igitur peregrina lingua  
 vtuntur, abs Deo petant, ut ipsis simul earum  
 interpretandarum facultatem largiatur. 14. Si enim  
 ego, verbi caussa, peregrinā linguā preces fundam,  
 animus quidem meus precabitur, sed sen-  
 sum verborum apud alios nullum habebit. 15. Quid  
 igitur faciendum mihi fuerit? Precandum scilicet  
 animo, sed et verbis perspicuis vtendum, canen-  
 dus intus aliquis hymnus, sed et verbis perspicuis  
 effe-

efferendus. 16. Alioqui, si quis vestram v. c. ita  
preces faciat, vt solus intelligat, quomodo quilibet  
de vulgo auditorum sollemne illud AMEN vestris  
precibus accinet, quum, quid dixeritis, nesciat?  
17. In vestra quidem gratiarum actione nemo for-  
tasse quidquam reprehenderit, sed alii tamen nihil  
inde profecerint. 18. Evidem, licet gratiam Deo  
meo habeam, quod magis, quam vobis omnibus,  
peregrinarum linguarum usum et facultatem mihi  
indulxit; 19. malim tamen in coetu vestro, vt  
alios quoque erudiam, quinque verbula perspi-  
cue, quam decem eorum millia, ignoto sermone  
proloqui. 20. Ne, quaeso, mentis facultate re-  
puerascite, o carissimi, sed morum vitiis; mente  
contra quotidie firmiores studete euadere. 21. In  
libris sacris alicubi scriptum legimus, Deum mi-  
nari, „se per barbaros ac peregrinos ad populum  
suum esse locuturum, neque tamen vel sic hunc  
ipsei obtemperaturum.“ 22. Est igitur linguarum  
varietas miraculum, non tam nostris, quam pro-  
fanis; quemadmodum contra vaticinandi facultas,  
non tam his, quam illis, in primis utile. 23. Quod  
si ad conuentus vestros sacros, vobis variarum lin-  
guarum sermone ventibus, aliqui de vulgo, aut  
profani, accesserint, nonne insanire vos dicent?  
24. Sin autem omnes Graecâ linguâ vaticinentur,  
ingressique de plebe quidam aut profani fuerint,  
sane eorum non modo errores verum etiam impie-  
tas ab omnibus coarguetur; 25. sive, occulta  
ipsorum animi prauitate ipsis patescente, humi pro-  
strati, verum Deum adorabunt, eiusque numine  
vos vere afflari, palam profitebuntur.

26. Quid igitur vobis faciendum erit, o dile-  
ctissimi? Quando conuentus sacros agitis, et sin-  
guli,

guli, quod proferant, in promptu habent, aliis carmen sacrum, alias doctrinae caput, alias linguā peregrinā sermonem, alias rem, diuinitus sibi parfactam, alias denique peregrini sermonis interpretationem; ad communem haec omnia utilitatem erunt referenda. 27. Si qui peregrinā lingua loqui voluerint, duo, summum tres, hique ex ordine loquuntur, unus autem dicta interpretetur, 28. Quod si interpretis copia minime fuerit; in conuentu plane sileant, sibi vero solis ac Deo *intus* loquuntur. 29. Vates contra duo vel tres si locuti fuerint, reliqui iudicium de iis ferant. 30. Sin alii sedenti diuinitus patet factum aliquid interim fuerit, qui prior verba fecit, *ante sileat, quam hic loquatur*. 31. Ita enim licet vobis, ex ordine singulis, vaticinari, ut omnes discant, omnes admonentur. 32. Ac praeterea viri diuinitus inspirati libenter cedere sibi inuicem solent. 33. Neque enim Deus noster turbas amat, sed pacem atque ordinem. Denique hoc in omnibus sanctorum coetibus ita fieri solet.

34. Mulieres vestras in sacris conuentibus silere inbeo; neque enim iis, viros docere, permissum est, sed his parere, etiam lege divina, iubentur. 35. Quod si quid discere voluerint, domi suum quaeque maritum interroget, quin omne mulieribus in concione loqui, turpe sit. 36. *Omnino quaeram: Ecquid e vobis doctrina Christi prodit?* Ecquid apud vos solos substituit? 37. Certe, si quis apud vos vates esse, aut omnino diuinitus inspiratus sibi videtur, facile is, haec diuina esse imperia, poterit agnoscere; 38. sin ignorantiam causetur, *suo periculo ignoret*. 39. Semma haec est, o carissimi, ut vaticinandi facultatem expetatis,

per-

peregrinarum vero linguarum vsum ne impediatis,  
40. omnia denique honeste et ex ordine fieri  
curetis.

CAP. XV.

1. Caeterum in memoriam vobis, o carissimi,  
denuo reuocandam esse video doctrinam salutarem,  
quam vobis tradidi, quam vos admisistis, quam  
profitemini cum maxime, 2. ex qua salutem ae-  
ternam speratis vos consecuturos, quam denique  
summa simplicitate vobis tradidi, , nisi forte eam  
obliti estis. *Quod quidem minime spero, nisi plane*  
*frustra Christo nomen dedistis.* 3. Nam inter  
prima statim elementa vobis hoc quoque, ita, vt  
mihi traditum fuerat, memini me tradere, Chri-  
stum, vt in libris sacris praedictum fuerit, ad sce-  
lera nostra expianda, mortem oppetiisse; 4. eun-  
dem, pariter, vt ibi praedictum erat, sepultum,  
tertio die in vitam rediisse, 5. apparuisse deinde  
Petro, ac reliquo suorum collegio, 6. visum praeterea  
fuisse suorum asseclarum simul quingentis,  
quorum etsi nonnulli vita excesserunt, plerique ta-  
men adhuc sunt superstites; 7. tum Iacobo, porro  
legatis suis omnibus, 8. postremo mihi quoque, vi-  
lissimo inter eos, consciendum se praebuisse. 9.  
Ego enim legatorum eius sum inimicus, quin adeo  
ne dignus quidem tanti nominis amplitudine, qui  
coetum, illi sacramum, tantopere affixerim. 10. Solo  
igitur Dei O. M. fanore hunc locum teneo; qui  
quidem tantum abest, vt me deseruerit, vt plu-  
res ego caeteris omnibus labores exantlauerim, si  
modo ipse dicendus sum hoc fecisse, nec potius,  
benignum Dei, me agitantis, auxilium id praestis-  
tisse. 11. Quidquid tandem eius rei sit, siue ego  
siue

sine caeteri illi, vobis doctrinam illam tradiderimus,  
satis est, vos ei fidem habuisse.

12. Si vero Christi in vitam reditus certâ ubi-  
que fide traditur, qui fit, vt quidam, mortuos redire  
in vitam posse, omnino negent? 13. Quod si re-  
ditus hic nullus fuerit, ne Christi quidem in vitam  
reditus admitti potest. 14. Si Christus non reui-  
xit, inanis nostra doctrina vniuersa, inanis ergo et  
fides, ei a vobis habita, sint, necesse est. 15. Nos  
porro falsum de Deo testimonium perhibuisse coar-  
guemur, qui, eum, palam docuerimus, vitam  
Christo reddidisse, quam tamen nunquam reddider-  
it, si quidem nec mortui in vitam renocari pos-  
sunt. 16. Nam, vti modo dixi, necessario cohae-  
rent mortuorum et Christi in vitam reditus. 17. At  
si Christus inter viuos non est amplius, vana  
omnis vestra in eum fiducia est, et omne scelerum  
vestrorum onus in vobis adhuc recumbit; 18. quin  
etiam Christiani omnes, iam mortui, haud dubie  
perierunt. 19. Quod si huius modo vitae angu-  
stiis nostras in Christo spes circumscripserimus,  
omnium profecto mortalium erimus longe miser-  
rimi. 20. Sed bene habet; Christus in vitam re-  
diit, isque primus eorum, qui, perpetuae vitae,  
aliquando recipienda spe, morte obdormierunt.  
21. Nam quum per hominem mors extiterit; pari-  
ter per hominem recipienda vitae spes debebat exsi-  
stere. 22. hoc est, quemadmodum in Adamo mortis  
omnium, ita in Christo redditae omnibus vitae  
caussa erit quaerenda; 23. sed tamen suo quis-  
que ordine, prior utique Christus, ac deinde Chri-  
stiani, in vitam redibunt, quando ille ad iudicium  
venerit. 24. Ac tum demum rerum humanaarum  
finis

finis aderit, quum idem regnum suum Deo et Patri tradiderit, omnibus prius *humanis* regnis, imperiis, et principatibus plane sublatis. 25. Oportet enim tamdiu ipsam *humano* imperare generi, donec omnes aduersarios suos plane deuicerit, 26. quorum ultima mors prorsus e rerum natura tolletur. 27. Omnia quippe ei pater subiecit; quod quando fecisse dicitur, seipsum sane, qui filio cuncta subiecit, excepisse existimandus est. 28. Quum igitur, *vti dixi*, subiecta ipsi fuerint omnia, tum et ipse filius ei se subiicit, qui ipsi prius cuncta subiecerat, vt iam inde ad unum Deum O. M. summa gloria et maiestas redeant.

29. Quae nisi ita essent, quid, quaequo fieret de iis, qui tot calamitatibus immerguntur propter mortuum aliquem redemptorem, nisi omnino mortui nunquam in vitam reddituri sunt? Cur, inquam, illa de caussa tot cruciatus subeunt? 30. Cur nos, Christi legati, in perpetuo periculo versari non dubitamus? 31. Evidem certe, (per gloriam, a vobis, Christo Iesu, Domino nostro, adiuuante, in me redundantem!) et ipse quotidiano mortis periculo circumseedor. 32. Quod si propter humanas tantum spes, Ephesi cum bestiis depugnauit; quid inde ad me redibat commodi, nisi, mortuos aliquando in vitam reddituros, sperasset? — „Ede, bibe, lude, (ita profecto tum cum caeteris impiis dixisset) post mortem nulla voluptas.“ 33. Sed ne erretis, quaequo; „corrumput enim rectos mores prava consortia.“ 34. Resipiscite itaque, vt decet, nec ulterius in errore perseverate; quidam enim e vobis, quod cum summo vestro dedecore cogere dicere, plane ignorare Deum videntur.

35. Verum quaerat aliquis: Quomodo fieri omnino possit, ut mortui in vitam redeant, et quali id corpore facturi sint? — 36. Quidquid tu seminis, o philosophaster, in terram conieceris, minime e terra viuum exsurget, nisi ante veluti moriatur; 37. et, quod tu spargis, non corpus illud ipsum est, olim progerminatum, sed nudum granulum, tritici, v. c. aut aliis reliquorum vegetabilium, 38. Deus autem ei pro arbitrio corpus singit, idque cuilibet sementis generi proprium. 39. Sic non omnia carnium genera eadem sunt, sed aliae quidem hominum, aliae quadrupedum, aliae piscium, aliae denique animalia esse solent. 40. Rursus corpora vel caelestia, vel terrena sunt; sed alius caelestium splendor, alius terrenorum. 41. Quin rursus alius solis est, lunae alius, astrorum denique alius, quum et ipsa astra splendore inter se differant. 42. Pariter se res habet in mortuorum ad vitam reditu. Sepelitur enim corpus mortale, redibit immortale; 43. sepelitur deforme, redibit pulcherrimum; sepelitur infirmum, redibit firmum; 44. sepelitur denique terrestre, redibit caeleste; sunt enim duplicitis generis corpora, terrestria ac caelestia. 45. Et, quemadmodum Moses, Adamum, primum hominem, animatum abs Deo, ait, fuisse; sic Adamus alter animam habet, quae perpetuae vitae in se fontem contineat. 46. Neque vero prius ordine est corpus illud, caelo aptum, sed naturale, ac tum demum caeleste sequitur. 47. Primus homo terrenus, ex puluere ortus, alter Dominus, e caelo oriundus, est. 48. Qualis terrenus, tales etiam terreni reliqui; qualis caelestis, tales quoque caelestes erunt. 49. Et quemadmodum aliquando terreni, ita etiam olim caelestis illius imaginem circumferemus.

50. Illud certum est denique, o carissimi, homines tali corpore, quale nunc quidem habent, caeleste Dei regnum intrare, adeoque fragilem materiam immortalitate donari, neutiquam posse. 51. Itaque arcanam adhuc vobis rem, ecce! apriam: Non omnes quidem moriemur, sed omnes tamen immutabimur, 52. idque subito, ac brevissimo temporis puncto, tum, cum signum ultimi iudicij diuinatus datum fuerit, (dabitur enim prefecto) ita quidem, ut et mortuorum in vitam redditus, immortales eos redditurus, et nostri immutatio innicem coniuncta sint. 53. Oportet enim fragilem hanc materiam firmitate, et mortalitatem immortalitate vestiri. 54. Quod virumque postquam factum fuerit, tum denum illa sacrarum litterarum verba euentum suum habebunt: „Mors iam in perpetuum absorpta est! 55. Vbi tuus nunc o mors, aculeus? Vbi tua, o sepulchrum, perpetuitas?“ 56. Vis autem mortis noxia in naturali prauitate, huius porro in diuina lege maxime sita est. 57. Deo autem O. M. maxima debetur gratia, quod beatam aeternitatem propter Dominum nostrum, Iesum Christum, nobis impetriri dignatur. 58. Vnde vos, o mei, certos huius rei esse, nec ab ea dimoueri, sed potius crescere in pietate quotidie velim, quum praesertim sciatis, studium istud tantis a Deo praemiis condecoratum iri.

## CAP. XVI.

1. Ad pecuniam vero, pro Christianis egenis colligendam quod attinet, vt apud Galatiae coetus institui, ita vobis quoque faciendum censeo.
2. Singulis Solis diebus quilibet domi reponat et

Hh 2

col-

colligat, quantum lucrari pro illis potuerit, nem  
tum demum, quum venero, pecunia ista colliga-  
tur. 3. Quum autem adfuero, quos ipsi proba-  
veritis, hos ego cum litteris mittam, ut beneficium  
vestrum Hierosolymam perferant. 4. Quod si sa-  
tis magna eius summa fuerit, ut ego ipse simul  
proficiar, me illi comitabuntur. 5. Caeterum  
ad vos venire sane cogito, quum Macedoniam  
transiero, (hanc enim per prouinciam necessario  
mihi eundum est) 6. apud vos fortasse mansu-  
rus vel etiam hyematurus, ut vos me, quocunque  
tendam, deducendum curetis. 7. Nolo enim nunc  
obiter tantum vos videre, sed, si Deus dederit,  
aliquandiu apud vos manere decreui. 8. Ephesi  
quidem Pentecosten usque haerebo, 9. quum  
ibi, quangquam affatim est aduersariorum, ma-  
gnam tamen et insignem propagandae do-  
ctrinae Christianae occasionem nactus sim.

10. Timotheus quum ad vos venerit, ut apud  
vos tuto ei esse liceat, quaeso, curetis; non mi-  
nus enim Dei inter vos negotium, quam ego ipse,  
acturus est. 11. Neque eum quisquam ausit con-  
temnere, sed humaniter tractatum potius ad me  
remitite, quum eum vna cum caeteris comitibus  
vehementer exspectem. 12. Ad Apollonium no-  
strum quod attinet, etsi eum saepe hortatus sum,  
ut ad vos cum suis proficeretur; tamen nunc  
quidem ad vos venire omnino noluit, sed, tum  
se venturum, dixit, quum opportuniora tem-  
pora fuerit nactus. — 13. Vos autem vigilate, do-  
ctrinam Christi firmiter retinete, virilem in ea  
constantiam ac robur assumite, 14. omnia tam-  
en haec ita facite, ut amor Christianus inde  
eluceat.

15. Aliud praeterea rogatos vos velim, o carissimi! Nostis familiam Stephanionis, quae prima Achacorum Christo nomen dedit, ac totam se Christianorum ministeriis sponte addixit. 16. His, quaeſo, vos, pariter, vt omnibus, qui molestum docendi munus mecum obeunt, aequos praebeatis. 17. Evidem Stephanionis, et Fortunati, et Achaici praesentia non parum delectatus sum, quod vestram mihi absentiam compensarunt, 18. meumque animum *nunc* non minus, quam *antea* *vestrum*, recrearunt. Talibus gratum animum demonstrare profecto vos decet. 19. Salutant vos Asiae coetus sacri; salutant plurimum et sanctissime Aquilas ac Priscilla, cum toto coetu, qui apud ipos congregatur; 20. salutant denique omnes Christiani. Vos autem sacro inuicem osculo excipere vos velim. 21. Salutem ego hanc Paulus mea manu adscripsi.

22. Si quis Dominum, Iesum Christum, non amet, omnium poenarum diuinarum reus habetur! 23. Cuius eiusdem favor vobis contingat ita, 24. vt meus propter illum amor vobis omnibus ac singulis dudum contigit. Amen!  
*Valete!*

EPISTO.

200 100 300 60 100 200

---

E P I S T O L A  
PAVLI AD CORINTHIOS II.

---

C A P . I.

1. Paulus, Iesu Christi legatus, divina auctoritate constitutus, et Timotheus collega, coetui sacro, qui Corinthis est, et omnibus omnino per totam Achiam Christianis 2. fauorem et quaevis bona a Deo, patre nostro, et Domino, Iesu Christo, precamur.

3. Quam immensam Deo, eidemque patri Domini nostri, Iesu Christi, misericordiae ac solatii omnis fonti, gratiam debemus, 4. quod in tot tantisque malis exhausti, adeo animos nostros erexit, ut eo ipso solatio, quo nos perfuderat, alios quoque, pariter vexatos, erigere possemus! 5. Quemadmodum enim vehementissime propter Christum

stum vexamur; ita dulcissimo per eundem solatio reficimur. 6. Siue autem vexamur, solatio ac saluti etiam vobis est exemplum nostrae constantiae, dum iisdem, quibus nos, calamitatibus exagitati, parem nobiscum patientiam ostenditis; siue recreamur, hoc et ipsum vos consolatur ac felicitatem vestram auget. Quod quidem de vobis speramus certissime, 7. quum, et malorum, et gaudii inter nos ac vos communionem intercedere, probe sciamus.

8. Neque enim ignorare vos volumus, o carissimi, quae nos, in Asia versantes, mala circumsteterint, et quam horrendo eorum pondere, supra vires quoque, et adeo pressi simus, vt de vita ipsa desperaremus. 9. Sed, vt postea vidimus, ideo mortem praesentissimam Deus oculis nostris obicerat, ne nostris viribus, sed ei soli, qui vel mortuos in vitam reuocare potest, consideremus. 10. Qui quidem, vti nos ex tanto mortis periculo tum eripuit, et adhuc eripit; ita nec, in posterum ereptum, dubitamus, 11. eo consilio, vt, accidente quoque vestra pro nobis deprecatione, pluribus de caassis, et a pluribus, pro auxilio, nobis tam benigne praestito, gratiae ipsi agantur. 12. Etenim alacres nos reddit in primis hoc, quod nostra nobis conscientia liquido testatur, nos cum summa integritate ac sinceritate, non humanae sapientiae artibus, sed benigno Dei auxilio fretos, non modo in caeteris prouinciis, sed et in vestra maxime, vixisse. 13. Non enim profecto alia vobis solemus scribere, nisi, quae et ante legistis, et nunc cognoscetis, et, quamdiu viuam, (spero) cognoscetis, 14. sicuti quoque iam bona pars vestrum agnouit, scilicet, in illo extremo Christi, Domini, iudicio,

vtros-

vtrisque de vtrisque, hoc est, vos de nobis, ac nos  
vicissim de vobis, esse gloriatores.

15. Atque hac quidem fiduciâ ego, *Paulus*, con-  
stitueram initio ad vos venire, et ulteriorem reli-  
gionis institutionem vobis impetrari. 16. deinde  
Corintho in Macedonia, tum e Macedonia rur-  
sus ad vos, denique, a vobis deductus, in Iudaeam  
proficiisci. 17. In his igitur, ita dispositis, num,  
quaeso, leuitatem agnoscitis? Aut, num ego in  
consiliis meis fraudes adhibere soleo, vt eadem  
nunc affirmem, nunc rursus negem? 18. Ita pro-  
fecto me Deus amet, vt ego in meis ad vos sermo-  
nibus minime varius aut inconstans fui. 19. Nam  
nec Jesus Christus, Dei filius, cuius vobis doctrina  
per nos, me, Siluanum, ac Timotheum, tradita  
est, inconstans esse solet, sed veracissimus; 20.  
propter quem etiam omnes Dei promissiones euen-  
tum verissime ac certissime sortiuntur, nostraque  
institutione ad summam ipsius gloriam innescunt.  
21. Idem non vos magis, quam nos ipsos de mu-  
nere tradendae religionis Christianae, nobis im-  
posito, certos reddidit, ac dotibus, ad eam rem  
necessariis, instruxit. 22. Idem denique, imper-  
tienda nobis per Spiritum suum miraculorum eden-  
dorum facultate, quasi quodam sigillo auctoritatem  
nostram muniuit.

23. Ita ergo me Deus amet O. M. ac fallentem  
perdat, vt ego, tantum vobis parcendi caussâ, Co-  
rinthum nondum veni, 24. neque ideo, vt im-  
periouse in rebus doctrinae me erga vos geram, sed  
potius, vt tanto maiores laetandi caussas vobis  
praebeam, praesertim, quum doctrinae veritas apud  
vos nondum detrimenti quidquam coperit.

CAP.

## CAP. II.

1. Certo praeterea consilio apud me decreueram, ad vos non venire sic, vt denuo dolorem vobis inurerem. 2. Hoc enim si fecisset, quis tandem exhilarare me, nisi, quos prius pupugissem, *hoc est, vos ipsi*, rursus posset? 3. Atque id ipsum vobis prioribus meis litteris significaram, ne, quum venissem, propter eos ipsos mihi dolendum esset, qui laetandi caussas mihi debebant; quum praesertim vestrum omnium interesse arbitrarer, vt laetum me vobiscum haberetis. 4. Omnino enim summo cum dolore atque animi anxietate, nec sine multis lacrymis tum vobis scripsi, non, vt vos tristitia afficerem, sed vt praecipuum illum, quo in vos feror, amorem cognosceretis. 5. Quod autem ad illum hominem attinet, qui tristitiae caussa *nobis* exstitit, is non me tantum, sed vos quoque omnes (ne quid grauius dicam) offendit; 6. cui proinde etiam communis illa plurimorum indignatio ad poenam sufficit. 7. Imo tanto magis ei vos iam debetis ignoscere, eiusque animum erigere, ne nimio ille moerore conficiatur. 8. Itaque vltro vos etiam hortor, vt vestrum ei amorem denuo declaratis. 9. Neque enim dissimulabo, me propterea quoque in litteris meis eius poenam vobis iniunxisse, vt experirer, an essetis mihi obedientiam per omnia praestituri? 10. Cui autem vos ignoscitis, eidem quidni et ego possim? Nam si cui veniam dedi, quodcunque indulsi, vestrā caussā et Christi nomine feci, ne, *nimio rigore*, in mali daemonis insidias incideremus; 11. neque enim, quid hic fraudis moliatur, nescimus.

12. Evidem quum Troadem ad tradendam Christi doctrinam venissem, etsi laetissima eius, auxilio diuino propagandae, materia mihi ostendebatur, tamen, quod Titum, collegam meum, nondum a vobis rediisse reperiebam, plane non poteram animo conquiescere, 13. sed statim, vale Christianis dicto, in Macedoniam transibam. 14. Neque tamen non immortalem Deo O. M. gratiam debeo, qui nobis concessit hoc, ut, per salutarem Christi doctrinam, nunquam non aduersarios nostros vinceremus, et vndique dulcem scientiae caelestis odorem spargeremus. 15. Nos enim Christi *veluti* thuribula sumus, Deo gratissima, non modo apud hos, qui seruantur, sed et apud illos ipsos, qui pereunt, 16. quorum hos odor letifer, inde surgens, necare, illos salutaris reficere ac seruare solet. *O munus ingens et arduum! cui obeundo quotusquisque idoneus reperiatur?* 17. Nos certe, ut tales simus, non, ceu plurimi alii, cauponum more, doctrinam Dei humanis additamentis adulteramus, sed sinceram et integrum, quippe diuinam, ac Deo vidente et audiente, quin Christo ipso iuuante, aliis tradendam, tradimus.

## CAP. III.

1. Sed fortasse rursus laudes ipsi nostras vobis canere videmur? Verum adeone commendatitias aliorum ad vos, aus vestris ad alios litteris mihi, ut alis quibusdam, opus esse existimatis? 2. Nostra quidem epistola commendatitia vos estis ipsi, in animo nostro inscripta, quae ab omnibus omnino hominibus facile et legi possit, et intelligi. 3. Quin adeo vos quandam ipsius Christi epistolam esse constat, quae perlata a nobis ad alios, non atra-  
men-

mento, sed ipso Dei Spiritu signata, neque tabulis lapides insculpta, sed in ipsis hominum mentibus inscripta sit. 4. Ac talia quidem ut iactare de nobis audemus, summus Dei erga nos propter Christum fauor efficit. 5. Neque enim nostrarum hoc virium est, ut quidquam, ad salutem humani generis profuturum, ingenio nostro excogitemus, quod nostram appellari iure possit, sed omnis nostra facultas, eo pertinens, abs Deo proficiscitur, 6. qui nos ipse necessariis ad propagandam de novo ipsius foedere doctrinam dotibus instruxit; quod quidem foedus non litteris, sed viua divini Spiritus vi constat; illae enim otiosae sunt, hacc vitam inspirat. 7. Quod si illud munus, quod minacibus litteris, saxo impressis, necem intentabat, illustrem maiestatem olim habuit, ut ne intueri quidem Israëlitae Mosis faciem, propter nimium eius splendorem, possent, qui tamen aliquando desinebat; 8. quidni longe illud munus sit illustrius, quod salutem per Spiritum diuinum pollicetur? 9. Sane quum munus id, cuius omnis paene vis in condemnando erat, tam gloriosum fuerit; illud profecto, quod salutem denunciat, necesse est, esse longe gloriiosius. 10. Imo, hac quidem in causa, tam illustre illud prae huius splendore, vix splendidum dici mereatur. 11. Si enim, quod aliquando tollendum erat, illustre habendum est, quanto magis, quod perpetuo mansurum est, gloriosum habebitur? 12. Qua de re quum certissime nobis persuasum sit, nos paulo confidentius loqui, nemo mirabitur. 13. Neque enim Mosen imitamus, qui velamen faciei suae obtendebat, ita ut Israëlitae non viderent, legem eius aliquando desitaram esse; 14. (quanquam ita eorum ingenia videntur obtusa esse, ut vel nunc, quoties veteres libri sacri apud

eos

eos leguntur, illud ipsum velamen iis adhuc im-  
positum esse, merito aliquis putet, nec auferri,  
quod tamen per Christum tollitur; 15. sed, *ut*  
*iam dixi*, quoties Mosis libri ab iis publice legun-  
tur, velamen illud eorum animos *velut* obfuscatur,  
16. non prius sane penitus tollendum, quam ad  
Dominum se serio conuerterint, 17. cuius doctrina  
vere Spiritum diuinum sapit; qui *vbi*cunque  
fuerit, ibi veram quoque libertatem esse, constat.)  
18. nos *Apostoli* contra omnes, minime obiecto  
vultu gloriam Domini, veluti per speculum, con-  
templantes, *plane uti Moses*, maiorem indies cum  
eo similitudinem, quippe Domini Spiritu agitati,  
consequimur.

## CAP. IV.

1. Mandato igitur nobis per gratitam Dei in  
nos benevolentiam tam graui muneri nullo modo  
desumus, 2. et procul abiecta clandestinorum vi-  
tiorum turpitudine, nec fraudibus occultis vitimur,  
nec doctrinam diuinam adulteramus, sed apertissima  
veritatis professione omnium hominum iudicio,  
atque ipsi Deo, *vbi*que praesenti, probatos nos esse  
cupimus. 3. Quod si doctrina nostra obscura man-  
serit, nonnisi apud eos hoc accidet, qui perituri  
*per se* fuerant, 4. quorum peruvicaces animos ma-  
lus iste impiorum Deus excaecavit, ne ipsos glo-  
riosa Christi, in quo ipsius Dei imago resplendet,  
doctrina illustrare possit. 5. Neque enim nos ipsos  
vobis dominos obrudimus, sed Christum Iesum  
denunciamus, nos contra, huius auctoritate, mini-  
stros esse vestros, profitemur. 6. Idem enim Deus  
qui olim lucem e mediis tenebris iussit existere,  
nostras mentes collustrauit, *vt*, qualis et quantus  
ipse

ipse esset, e Iesu Christi maiestate perspicuè omnibus demonstraremus.

7. Verum enim vero hos *doctrinae veluti thesauros* in vasis admodum fragilibus gestamus, vt, si quid ea magnum et insolitum efficerit, omnes diuinam ea in re virtutem, non nostram, agnoscant. 8. *Quid enim?* Vbiique gentium vexamur, nec tamen trepidamus; in dubitationes coniicimur, neque tamen desperamus; 9. fugamur, neque tamen deserimur, deiicimur, neque tamen perdimur; 10. quotidianum denique propter Christum mortis periculum subire cogimur, et tamen, *videntibus cunctis*, viui, tanquam Iesus e se pulchro, adstamus. 11. Nam propter hunc ipsum, quicunque viui adhuc supersumus, ad necem identidem tradimur, vt ex fragili hoc nostro corpore, eum in vitam rediisse, omnibus patescat. 12. Quanto autem frequentius nos acerba mortis pericula circumstant, tanto maior vobis aeternae ac beatae vitae spes emergit. 13. Nos tamen quum eandem, quam vos, talis vitae spem habeamus, *Dauidis exemplo*, qui, quae certo sibi persuasisset, ea audacter se, aiebat, proloqui, et ipsi, quae certa fide cognouimus, audacter cum aliis communicamus, 14. non nescii quippe, eum, qui Dominum Iesum in vitam reuocari, nos quoque, per hunc ipsum, viuos aliquando restituturum vobiscum, et *ad suum tribunal adducturn esse*. 15. Quidquid autem nobis accidit, vestrà caussâ fit, vt summa beneficia diuina a multis grato animo accipientur, eaque re Dei O. M. gloria in dies augeatur.

16. Quapropter minime nos tantis malis expugnari sinimus, imo quo magis tenue hoc corporu-

scu

sculum deprimitur et affligitur, eo magis animus noster indies exsurgit ac triumphat. 17. Nam levia illa huius vitae in ipsa breuitate mala et incommoda aeternam, ac, supra quam credibile est, excellentem gloriam nobis pariunt, 18. quippe non praesentia, sed futura spectantibus, quum illa celeriter transeant, haec contra aeternum mansura sint.

## CAP. V.

1. Scimus enim, etsi terrena haec corporis nostri moles dissoluatur, aliud tamen abs Deo mentis domicilium, nullis manibus factum, atque immortale in caelo nobis paratum fore. 2. Nam nunc quidem, in hoc nostro dum sumus, saepe nobis, incolendae illius caelestis desiderio, ingemiscendum est. 3. Atque utinam, quando vestem illam caelestem induemus, non prius terrestris haec exuenta esset! 4. Quod enim, dum hanc circumserimus, molestiarum vis tot gemitus nobis exprimit, non aliunde fit, nisi, quod non tam exui optamus, quam super indui, ita quidem, ut mortalitas ab immortalitate velut absorbeatur. 5. Est autem Deus ipse, qui hanc nobis mentem iniecit, et, ut pignus futurae felicitatis haberemus, Spiritus sui dotes extraordinarias in nos contulit. 6. Vnde bono semper animo sumus, quanquam non nescimus, dum huius corporis hospitio utamur, nos Domini nostri consortio adhuc carere, (7. spe enim nunc tantum erigimur, rem ipsam nondum tenemus) 8. bono tamen, inquam, animo sumus, maleminusque, e corpore egressi, domi apud Dominum versari; 9. certe, siue hoc nondum fiat, siue statim contingat, ei maxime, ut placeamus, contendimus. 10. Quippe nos omnes aliquando coram Christi tribunalis compare-

parere oportebit, vbi cuilibet, quidquid, quum es-  
set adhuc in corpore, seu boni, seu mali peregerit,  
rependetur.

11. Tam seuerum ac timendum ergo quum iu-  
dicem nostrum, sciamus, fore, cunctis homini-  
bus persuadere hoc ipsum studemus, quod nec  
Deo obscnum, nec vestro iudicio incertum esse  
spero. 12. Neque eo sane hoc dictum consilio ve-  
limus, vs nos rursus apud vos ipsi laudemus, sed  
eo potius, vt materiam nos defendendi vobis sup-  
peditemus apud eos, qui externa illa tantum cre-  
pant, animi integritatem contrà spectare minime  
solent. 13. Nos enim, siue nimium gloriari cui-  
quam videmur, Dei, siue modeste agere, vestrâ,  
neutrû nostrâ, caussâ facimus, 14. urgente nos  
summo in Christum amore identidem, 15. per-  
suasos quippe certissime, primum, quum unus  
omnium vice mortem subierit, idem esse, ac si  
omnes subissent, deinde, hunc eâ de caussâ mor-  
tem oppetisse, vt, quibus per eum iam licet viuere,  
non cupiditatibus suis, sed illi, pro ipsis et mor-  
tuo, et in vitam reuocato, hinc se totos conse-  
crent. 16. Quapropter etiam nos neminem hinc  
propter externa illa bona magni facimus, quin  
ipsum adeo Christum, etsi olim vt popularem no-  
strum admirati fuissemus, tamen admirari, vt ta-  
lem, dudum desiissemus. 17. Ino qui ad huius  
veros cultores se aggregat, hunc demum plane ali-  
um a se ipso fieri necesse est. Veteri enim *sacra-  
rum formulae*, plane sublatae, successit iam alia  
recentior, 18. eaque auctore ipso Deo, qui et nos  
per Iesum Christum sibi reconciliari passus est, et  
nunciandae huius reconciliationis munus nobis in-  
iunxit. 19. Ipse, inquam, Deus est, qui, recon-  
cilia-

ciliato sibi per Christum genere humano vnuerso, partim singulis scelera *omnia* ignouit, partim nos dulcissimum hunc nuncium illis ferre iussit, 20. Quum igitur Christi legatione fungamur, Deusque nostro *veluti ore* quemuis admoneat; Christi sane nomine vos obtestamur, vt et vos cum Deo sinatis reconciliari, 21. qui *eo usque se demisit*, vt, qui nullius vnquam sceleris se reum fecerat, eundem scelerum adeo victimam faceret, non alio sane consilio, nisi, vti nos per hunc ei placere rursus possemus.

## CAP. VI.

1. Cuius nos caussam agentes, et ipsi vos hor tamur, ne tantum eius beneficium frusira vobis of ferri sinatis. 2. Nam „quo ille tempore, opportuno admodum, ac die perquam salutari, auditurum se suorum preces, ipsisque subuenturum,“ apud Iesaiam olim promisit, ecce! hoc opportunum tempus, haec salutaris dies nunc est cum maximè, qua id vobis beneficium accipiendum fuerit. 3. Ac nos quidein, dum vos huc incitamus, ne forte munus nostrum aliorum reprehensioni obiciatur, omnem damus operam, vt neminem vila in re offendamus, 4. sed per omnia potius vt Dei ministros nos exhibeamus. *Sustinemus* patientissime cuiusque generis incommoda, calamitates, angustias, 5. plagas, carcerem, seditiones, labores, vigilias, iciunia; 6. *studemus* contra castitati, modestiae, patientiae, humanitati, recto donorum divini Spiritus vsui, sincerae caritati; 7. tradendae fideliter Christi doctrinae, miraculis suo loco patrandis, armis denique grauissimis, partim ad impugnandos errores, partim ad defendendam religionem,

recte

recte adhibendis, 8. honorem ac dedecus, infamiam ac laudem iuxta pensi habentes. Denique, pro impostoribus habitu, tamen veraces, 9. pro obscuris illustres, pro mortuis viui, pro castigatis nondum enecti, 10. pro tristibus semper hilares, pro egenis multorum locupletatores, pro nihil habentibus omnia possidentes, reperimur.

11. Multa profecto apud vos hic effudimus, o Corinthii, et animum, ante compressum, *velut onere quodam leuauimus*. 12. Neque enim paruo vos amore prosequimur, quum vos contra nostri amore non admodum fereuere videamini. 13. Vellim tamen, quasi mercedis loco, nos a vobis quoque, tanquam liberis, parem amorem experiri. 14. Ne igitur, quaeso, quum tantum inter vos ac profanos discriminem sit, commercia cum iis habeatis. Quis enim inter iustitiam et iniquitatem, inter lucem ac tenebras consensus esse potest? 15. Quaenam inter Christum ac malum daemonem, adeoque etiam inter Christianos ac profanos societas? 16. Quaenam denique templo Dei O. M. cum simulacris communio? Atqui vos ipsi templum illud immortalis Dei estis; *vnde vobis dictum putate*, quod ille olim promisit: „Ego habitabo inter vos, ac versabor, quum non minus ego Deus vester sim, quam vos populus meus. 17. Vnde vos ex illorum finibus egredi, et segregari ab eorum societate, nec impuri cuiusquam tactu inquinari amplius volo, si quidem a me defendi et amari vultis, 18. ac, si-  
cut ego patrem me vestrum profiteor, ita vicissim pro liberis meis volo agnoscere. Haec ego, omnipo-  
tens Dominus, edixi.“

## CAP. VII.

1. Tantas igitur promissiones quum habeamus, o carissimi, ab omnibus sane tum corpus, tum animum sordibus purgare, atque in vera sanctitate ac Dei reverentia *ad vitae usque finem perseverare* nos conuenit.

2. Hisque precibus nostris locum, quaeso, date; neminem enim *vestrum*, spero, laesimus, neminem corruptimus, neminem fraudauimus. 3. Neque vero hoc dico, *vt vos de me tale quid arguam, credidisse*; supra enim iam dixi, vos ita animo meo infixos esse, *vt vobiscum vivere amem, vobiscum obeam libens*. 4. Magna sane mihi, et ad vos agenti, fiducia est et de vobis optima quaeque loquenti laetitia, quin adeo in summis meis calamitatibus vos cum solatii, tum gaudii vehementissimi caussa mihi estis. 5. Nam in Macedoniam quum venissemus, etsi nulla nobis requie frui licebat, sed vndeque pressi, externis certaminibus distinebamur, intestino metu cruciabamur; 6. tamen Deus O. M. qui tristes tam libenter solatio recreat, per Titi praesentiam nos plane refecit; 7. nec modo hac ipsa, verum etiam iis rebus, que hunc vehementer refecerunt, quum quidem ille nobis nunciaret *vestrum mei desiderium, vestrum de corrupta disciplina dolorem, vestrum mei defendendi studium; quibus rebus omnibus mea laetitia maiorem in modum aucta est*. 8. Nam quod vos priori epistolâ offenderam, id etsi me fecisse poenituerat, tamen nunc minime poenitet, quum videam, illam epistolam non nisi ad breve tempus vos pupugisse. 9. Idem contrâ summu nunc gaudium percipio, non sane propterea, quod dolastis, sed, quod hic dolor animorum vobis

bis emendationem attulit. Diuinitus enim immis-  
sum vobis dolorem sensistis, vt proinde nihil plane  
veri incommodi vobis a me acciderit. 10. Is au-  
tem dolor, qui deo placet, animorum mutationem  
saluberrimam solet inducere, cuius neminem vn-  
quam poenituit, quum contra impiorum dolor ipsos  
plane in perniciem detrudat. 11. Videte v. c. iste  
ipse dolor, a Deo vobis immissus, quantum vobis  
studii, quantum excusationis, quantum indignatio-  
nis, quantum metûs, quantum desiderii, quantum  
feruoris, quantum denique in vindicando seueritatis,  
incusserit! vt omnino, vos in toto hoc negotio sum-  
mam vestram innocentiam declarasse, confitendum  
sit. 12. Quare etsi paulo seuerius scripseram, ne-  
quaquam tamen *id feci*, tam eius, qui *nos* offendit,  
aut eius caussâ, qui offensus fuerat, quam,  
vt, *quasi* in Dei O. M. conspectu, meum in vos  
amorem vobis demonstrarem. 13. Itaque et, vos  
iam dedoluisse, valde laetati sumus, et multo ma-  
iori gaudio propter Titi laetitiam perfusi sumus, cu-  
ius animum vos omnes ac singuli tantopere exhibi-  
larastis. 14. Nam quidquid ei de vobis boni dixe-  
ram, non falsus in eo repertus sum; sed, vt nun-  
quam vobiscum, nisi vera, locuti sumus, ita et,  
quae Tito de vobis dixeramus, verissima fuerunt.  
15. Qui quidem homo incredibili in vos amore fer-  
tur, quoties vestram omnem *erga me* obedientiam,  
et quanta cum cura et sollicitudine ipsum receperi-  
tis, reminiscitur. 16. Quantam igitur, par est,  
meam esse laetitiam, quod vobis ego tantopere pos-  
sum per omnia confidere?

## CAP. VIII.

1. Certiores autem vos, o dilectissimi, *simul*  
*hac occasione facimus*, Christianis per Macedoniam  
*coetibus divinitus iniecatam fuisse tantam beneficen-*  
*tiam*, 2. vt, quamvis ipsi essent longe pauperi-  
*rimi*, vexarenturque insuper multis calamitatibus  
*tamen summa hilaritate ac simplicitate largissimam*  
*stipem colligerent*. 3. Nam pro viribus suis (quod  
*bona fide testor*) imo paene plus, quam pro viri-  
*bus*, sua sponte, 4. multis nos verbis, vt, quae  
*communiter ad sublenandos alios Christianos colle-*  
*gissent*, ea pro his recipere ne grauaremur, roga-  
*runt*, 5. ac multum superatà spe nostrà, seipso-  
*totos Deo ac nobis, diuina auctoritate constitutis*,  
*consecrarent*, 6. ita quidem, vt nos quoque ad ro-  
*gandum Titum impelleremur, ne grauaretur, quem*  
*admodum coepisset*, ita hoc beneficentiae, verè  
*diuinae*, opus apud vos absoluere. 7. Ut igitur  
*omnia adhuc vestra, fiducia, rerum diuinaram sci-*  
*entia, prudentia, pietatis studium, et nostri amor,*  
*fuerunt largissima*; ita in hoc quoque beneficentiae  
*opere vos aequa largos esse velim*. 8. Neque tam-  
*men hoc dico, quasi cogam, aut imperem, sed,*  
*vt, aliorum studiis commemorandis, vestri quoque*  
*amoris veritatem explorem*; 9. quum praesertim  
*immensum Domini nostri Iesu Christi, amorem*  
*minime ignoretis, qui, quum abundaret bonis*  
*omnibus, propter vos tamen sponte paupertatem*  
*subiit, non alio consilio, nisi, vt hac eius pauper-*  
*tate ditaremini*. 10. Neque etiam aliud hic quid-  
*quam, nisi consilium dare volui; nam ita maximè*  
*laudi vobis fore arbitror, quum opus istud iam*  
*ante hunc annum non modo suscepseritis, verum*  
*etiam sponte decreueritis*; 11. cuius nunc quidem  
*nihil,*

nihil, nisi absolutio superest, vt, quemadmodum  
animi liberalitas promtos vos reddebat, ita nunc,  
pro suarum quisque facultatum modo, beneficium  
praestet. 12. Dummodo enim animus promtus  
adsit, ex eo, quod habent datores, non, quod  
non habent, aestimantur. 13. Neque enim hoc  
volumus, vt, aliis ditescentibus, vos egeatis, sed  
vt, aequabilitate inducta, in hac annonae caritate,  
ex iis, quibus vos abundatis, illorum inopia sub-  
lenetur, 14. vt aliquando, si vos simili malo la-  
boretis, eadem aequabilitate vestram inopiam illo-  
rum copia subleuet, 15. fere, vti Moses olim  
*Israëlitarum in deserto*, „eos, qui plus mannae  
collegissent, negat, plus, qui contra minus, mi-  
nus habuisse.“

16. Caeterum gratiam Deo habeo immorta-  
lem, quod non minus vestri studium Titi animo,  
quam meo, inspirauit; 17. qui etsi adhortationem  
meam admisit, tamen, quum homo sit officiosis-  
simus, sua sponte etiam ad vos erat profecturus.  
18. Cum quo alium simul quendam virum Chri-  
stianum misimus, qui magnam sibi iam apud  
omnes sacros coetus laudem, tradenda religione  
Christianâ, comparauit; 19. neque tantum hoc,  
sed etiam à sacris coetibus communis suffragio ad  
nos comitandos stipemque hanc, nobiscum perfe-  
rendam, delectus est; quâ ipsâ et Dei gloria, et  
vestra alacritas, haud parum celebrabitur, 20. Fe-  
cimus autem hoc ideo, ne quis in beneficio tam  
copioso, a nobis perferendo, consilium nostrum  
reprehenderet, 21. qui non tantum apud Deum,  
sed et apud homines reprehensione omni carere  
libenter volumus. 22. Vtrique autem tertium quen-  
dam Christianum adiunximus, quem partim in  
alii

aliis saepe rebus diligentem; partim nunc, propter insignem in vos fiduciam, multò etiam diligentiorēm experti sumus. 23. Siue igitur Titum spectetis, is meus socius, et apud vos Collega est, siue hos duumuiros, coetuum sacrorum legati sunt, atque summūm vniuersae rei Christianae ornamen-tum. 24. Quibus et ipsis, et, per hos, sacris illis coetibus demonstratis, velim, quam benefici erga alios sitis, et quam recte de istā beneficentia apud alios fuerimus gloriati.

## CAP. IX.

1. De stipe quidem ipsā, Christianis destinata, superuacuum arbitror, vobis plura scribere, 2. quum sciam, quām promti esse soleatis; vnde et apud Macedones ad laudem vestram gloriatus sum, Achaeos iam superiori anno paratos fuisse, vestrūmque studium plures adeo ad imitandum alle-xisse. 3. Hos autem e nostris duumuiros ideo praemisi, ne, quod hac in re vos fecisse iactauimus, vanum reperiretur, sed vos potius, vt modo dixi, parati essetis. 4. Nam, si mecum venissent Macedones, et imparatos vos deprehendissent, quantum, putatis, pudorem nobis, (ne dicam vobis ipsis) iniecturum fuisse hoc, quod tam confi-dentes de vobis tantas res iactassemus? 5. Neces-sarium igitur duxi, eos viros rogare, vt, ad vos praegressi, negotiūm de stipe, a vobis promissa, conficerent, idque sic, vt ne anaritiae, quam bene-ficiarie, documento similius videretur. 6. Sic enim habetote, qui parcus seuerint, parcus eos-dem messuros; qui largius, largiorem quoque messem collecturos esse. 7. Omnino tantum quis-que, quantum sibi non detimento fore crediderit, non

non iniuitus, aut quasi per vim coactus, eroget; hilares enim datores Deus amare maxime solet. 8. Idem vero hic, quidquid erogaritis, potest vobis largissime reponere, vt, necessariis ad victum omnibus, omni vbiique tempore instructi, etiam ultrius ad omne beneficentiae genus sufficiatis, 9. va- leatque de vobis, quod de benefico viro Dauides cecinit; „Quoniam sua egenis largiter distribue- rit, hinc eius beneficentiam perpetuos fructus latu- ram esse.“

10. Deus autem O. M. qui sementem serenti- bus et victum necessarium subministrat, idem vestrum istud seminis genus vobis suppeditet, cu- mulet, ac liberalitatis vestrae fructus indies augeat, 11. vt omni beneficentiae generi exercendo pares semper sitis, mihi vero nunquam gratiarum, ve- stra caussa ipsi agendarum, materia deesse possit. 12. Huius enim pecuniae collectio non modo Christianorum subleuabit inopiam, verum etiam pluri- mas gratiarum actiones, Deo debitas, ab aliis eli- ciet, 13. qui, hoc beneficentiae a vobis edito spe- cimine, eum partim pro obedientia vestra, suscep- tae a vobis religioni Christianae praestita, par- tim pro tam generosa erga illos aliosque omnes libe- ralitate, summis laudibus efferent. 14. Denique illi ipsi pro vobis assidue Deum deprecabuntur, et propter tam insignem beneficentiam, diuinitus vo- bis infusam, parem erga vos amorem concipient. 15. Ah! quis tandem satis Deo gratiarum pro tam inenarrabili eius beneficio agere possit?

C A P.



## CAP. X.

1. Sed idem tamen ego, Paulus, vos mansuetudine ac lenitate verè Christiana rogo atque obtestor, vt, quum, etsi praesens inter vos modestus videbar, tamen absens tanto in vos vehementior esse possim, 2. vt ne, inquam, cogatis me adhibere illam ipsam vehementiam, qua vti decreui aduersus quosdam, qui nos nihil esse opinantur. 3. Sane quidem homines sumus, sed minime ex humano more nostrà *veluti* militiâ fungimur. 4. Non enim infirma, quibus in ea vitium, arma sunt, sed satis abs Deo firmitatis ad deiiciendas arcas, vel munitissimas, inditum acceperunt. 5. Vnde nos omnes artes illas subtile, opesque humanas, cultui Dei O. M. aduersas, vincimus, et omnes argutias humanas submittere se doctrinæ Christianæ cogimus, 6. parati adeo, omnem pertinaciam *inter* vos contumaciam vindicare, postquam modo, caeteros morem nobis gessisse, cognouerimus. 7. Adeone igitur externa illa tantum admiramini? Quod si quis alias certo se, credit, Christi ministrum esse, is, queso, apud se cogitet, si ipse talis sit, non minus et me esse. 8. Nam etsi plura quoque de concretiâ mihi ad utilitatem vestram, non ad aegre vobis faciendum, potestate, paulo iactantius dixero, minime tamen me litem perditurum, scio. 9. Neque tamen *id vel sic faciam*, ne vobis videar per epistolæ modo terrorem incussisse. 10. Sunt sane graues, (inquiunt illi) ac fortes *absentis* epistolæ, præsentis contrâ misera figura, et exigua admodum eloquentia. 11. Quæ qui audent de me dicere, sciant, me, quales absens litteras scripserim, talem facto ipso præsenti me exhibituru, 12. Neque enim audemus

nos

nos siue inferre, siue conferre nonnullis laudum  
suarum paeconibus, qui, dum se nonnisi secum  
ipsis comparant ac metiuntur, verissime quidem  
*in eo* desipiunt. 13. Nos contra minime supra mo-  
dum gloriabimur, sed iis nos limitibus continebi-  
mus, quos ita nobis Deus posuit, *vt tamen* vos  
possemus attingere. 14. Non enim, sicut *hi*, quo-  
rum limites non ad vos vsque pertinebant, fines  
nostros egredimur, sed *vere* ad vos vsque limes do-  
ctrinae Christi, a nobis propagandae, pertinuit:  
15. neque supra modum aliorum labore superbi-  
mus, sed speramus tamen, si modo fiducia vestra  
creuerit, fore, *yt*, aliquà cum nostrà apud vos laude,  
multo etiam latius limites nostri extendantur, 16.  
adeo quidem, *vt* gentibus, vltra vos sitis, do-  
ctrinam Christi tradam, neque ideo me iactare  
opus habeam, quod in ea, quae iam alii magno la-  
bore expedierunt, temere inuolarim. 17. Quis-  
quis autem *legitime* iactare se voluerit, de Domini  
*auxilio* glorietur. 18. Neque enim, qui se ipsi effe-  
runt, sed, quos Dominus commendat, *ii demum*  
probandi sunt.

#### CAP. XI.

1. Vtinam mihi condonetis paululum stultiae,  
*si ita* lubet appellare: verum *seio* iam, condona-  
bitis, 2. quum quidem ego vos studio, plane diui-  
nitus excitato, prosequar. Etenim coetum vestrum,  
tanquam virginem castam, vni marito, Christo,  
desponsam tradere studeo. 3. Idem tamen vereor,  
ne, quemadmodum serpens ille Euam fraudibus  
suis olim decepit, ita et animi vestri ab illa amo-  
ris erga Christum simplicitate abducantur. 4. Iam  
si quis nouus doctor alium, eumque potiorem vo-  
bis

bis Iesum ostenderet, nondum a nobis ostensum,  
 aut aliis Spiritus diuini dotes, a vobis nondum ac-  
 ceptas, distribueret, aut doctrinam salutarem aliam,  
 nondum cognitam, traderet, utique ferendum a  
 vobis eum arbitrarer. *Nunc*, cum haec non ita  
*sint*, nonne hic manifestus Christi et mei contem-  
*tus est?* 5. Ego enim me vel summis illis Christi  
*legatis* nihilo deteriorem censeo. 6. Qui si vel mi-  
 nime eloquentia valeo, scientia tamen eo magis  
 excello, neque ullo tempore non talis omnibus in  
 rebus inter vos innotui. 7. Num forte male in eo  
 egi, quod, ne vobis molestus essem, meis me  
 finibus continuui? quod gratis doctrinam Dei saluta-  
 rem vobis tradidi? 8. Quod alias sacros coetus,  
 accipiendo ab illis victu necessario, spoliavi, ut vo-  
 bis docendo prodessem? denique, quod, quam  
 egere apud vos coepisse, nemini molestus fui?  
 9. Nam quidquid opificio meo lucrari non licebat, id  
 Christiani, e Macedonia profecti, suppleuerunt,  
 ut plane opus non haberem, vobis molestus esse,  
 neque in posterum hoc euenturum, confido. 10.  
 Atque hanc laudem, ita me Christus amet, et le-  
 gatum suum agnoscat! ut per omnes Achiae tra-  
 ctus eripi mihi nunquam profecto sinam. 11. Qui  
 sic? Fortasse, quod vos non amem? Atqui, hoc  
 me facere, Deum testor. 12. Ergo, quod adhuc  
 feci, in posterum quoque faciam, idque ideo, ut  
 iis, qui occasionem quaerunt gloriandi, se pari no-  
 biscum continentia esse, hanc ipsam occasionem  
 praecidam. 13. Hi enim suppositii Christi legati,  
 et fraudulent mercenarii, veros Christi legatos se  
 simulant; 14. quod nec mirum est, quum ipse  
 malus daemon bonum angelum subinde mentiatur.  
 15. Quis igitur magnum putet, eius ministros mi-  
 nistrorum Christi speciem mentiri? Sed hi quidem,

di-

dignum, (spero) factis suis exitum habebunt. 16. Ad me quod attinet, iterum rogo, ne quis me puet desipere, aut, sin hoc impetrari a vobis, nequeat, certe, vt desipientem, tantisper me feras, vt ego gloriai paululum possim. 17. Nam quidquid in hac iactandi veluti partinaci loquor, non iusse Domini mei, sed ex illa stultitiae in iactando veluti pertinacia, pronuncio. 18. Et quoniam multi in externis rebus iactare se solent, mihi quoque iactare me licet. 19. Libenter enim vos, quum sapiatis ipsi, ferre desipientes soletis; 20. et quidni? quum tam patienter feratis eos, qui caecam a vobis obedientiam postulent, qui vos expilent, qui pecunia emungant, qui insolenter tractent, qui in faciem adeo caedant. 21. Pudet sane, me ipsum ita efferre, tanquam despiciuerim; dicam tamen: Quacunque tandem in re alii se iacent, (mementote, me despere) in eadem me iactare audeo. 22. Illi Hebrei sunt? Etiam ego. Israëlitae sunt? Non minus ego. Abrahami posteri? Pariter ego. 23. Christi ministri? Ego (vt rursus despiciam) etiam multo magis. Plures quippe labores, plura verbera, plura vincula, plura denique mortis pericula subii. 24. A Iudeis quidem quinques undequadragesas plagas accepi. 25. Ter virgis caesus, semel lapidatus sum, ter naufragium feci, ideoque integrum noctem ac diem in profundo transigere coactus sum. 26. Itinera feci multa, pericula subii plurima in fluminibus, inter latrones, inter Iudeos, inter profanos, in vrbibus, in solitudine, in mari, inter impostores adeo e Christianis. 27. Iactatus porro sum in laboribus ac molestiis, vigiliis saepissime, fame ac siti, ieiuniis frequentibus, cum frigore denique et nuditate luctatus sum. 28. Ut iam nihil dicam de quotidianis

nis

nis interpellationibus, et curâ omnium sacrorum coetuum, mihi impositâ. 29. Cuius enim, queso, in his molestia non me quoque sollicitum habet? Cuius in pietate impedimentis non et ego veherentissime commoneor? 30. Omnipotens, si gloriam fuerit, lubentissime equidem calamitatibus meis gloriabor. 31. Scit enim Deus, idemque pater Domini nostri, Iesu Christi, aeternis laudibus celebrandus, me nequaquam mentiri. 32. Sic verbi caussâ, Damasci, Aretae regis praefectus, ut me caperet, militibus vrbe cinxerat; 33. sed ego e fenestra in corbe, funibus alligato, per murum demissus, hominis manus effugi.

## CAP. XII.

1. *Etsi* porro parum mihi honorificum videtur, quod me ipse laudo; tamen ad illud iam lubet pergere, quomodo mihi Dominus apparuerit, et quae nam me arcana edocuerit. 2. Noui enim non neminem, Christianum, ante hos annos quatuordecim, (sive intra corpus tum fuerit eius animus, sive inde egressus, equidem nescio; soli hoc Deo constat:) hunc igitur raptum fuisse usque in caelum tertium, 3. eundemque (repeto, me adhuc nescire, utrum intra, an extra corpus fuerit, quum solus id Deus sciat) 4. in paradisum abreptum, ea ibi audisse, quae nec humanis verbis exprimi possunt, nec, si possent, enunciare cuiquam licet. 5. Talibus ergo de rebus gloriari possem; neque tamen id in rebus a me gestis faciam, nisi, quod ad calamitates, a me exantatas, pertinet. 6. Quamuis enim, si me iactarem, scirem, me minime despere, quod vera essem omnia dicturus; nolo tamen facere, ne quis forte me propter alias magis causas, quam vitam meam ac doctrinam, magni aestimet.

met. 7. Quin adeo, ne summo illo intimae ad D<sup>e</sup>um admissionis honore animus mens efferretur, adiunctum ei fuit horrendum corporis incommodum, vt ualus quidam daemon exquisitissimos mihi, deprimentiae superbiae causâ, dolores infligeret. 8. Quem vt a me remoueret Dominus, quanquam ter ab ipso supplex petieram, 9. nihil tamen ille, nisi haec pauca mihi respondit: „Satis tibi sit, fauoris erga te mei te tibi esse conscientia, cuius potentia in iuandis infirmis maxime cernitur.“ Quam Christi potentiam vt saepius hinc in me experiar, lubentissime equidem calamitates meas *in posterum aliis narrabo.*

10. Itaque in calamitatibus, connicis, inopia, vexatione, periculis, propter Christi doctrinam suscipiendis, laeto animo sum; imo, quum incommoda perfero, tum denum me firmissimum exprior. — 11. En! coactus a vobis, in stultitiae suspicionem iactando incurri, quum a vobis potius commendari debuissem; neque enim, quantumuis nihil me aestimo, summis illis Christi legatis sum deterior. 12. Documentorum quidem talis legati inter vos a me, vel in summa malorum patientia, plurimis tamen et maximis miraculis, prodigiis, atque ostentis, satis, opinor, editum fuit. 13. Qua enim, quaeso, in re caeteris sacris coetibus deteriori conditione fuistis? Nisi forte in eo, quod ego vobis molestus non fui. Hanc ergo iniuriam mihi, quaeso, ignoscite.

14. Ecce! iam tertium ad vos venire paratus sum, neque tamen ideo vobis molestus ero, quum non opes vestras, sed vos ipsos potius appetam; si quidem non filii parentibus, sed hi potius illis, diuitias colligunt. 15. Quin ego lubentissime meas pecunio-

cuniolas, atque adeo me ipsum in animorum  
vestrorum salutem impendam, etsi, qui tam vehemen-  
ter vos amo, minus fortasse redamer.

16. Sit sane hoc, dicant aliqui, me molestum  
vobis palam quidem haud fuisse; sed fortasse, astuto  
vsus consilio, callide vos pecunia emunxi. 17. Mi-  
nime vero. Num enim per aliquem ex his, quos misi  
ad vos, circumscripti a me estis! 18. Precibus ego  
Titum eo perduxi, vt ad vos proficisceretur, eique  
alium Christianum comitem adiunxi; num ille vos  
circumscripsit? Nonne eodem vterque in vos animo  
fuimus? Nonne eadem vterque vestigia pressimus?  
19. Rursus me, creditis fortasse, defensionem apud  
vos parare? Minime; sed (ita me Deus amet!) vti  
legatum Christi decet, locutus sum; nullo certe alio  
haec omnia consilio, nisi vestrae utilitatis caussa,  
dixi. 20. Vereor enim, ne, si venero, nec ego  
tales vos deprehendam, nec vos talem me repe-  
riatis, quales vtrique optamus; ne forte lites, aemula-  
tiones, iras, rixas, calumnias, susurros, iacta-  
tiones, tumultus videam; 21. ne denique Deus  
meus tristem me apud vos reddat, et multos ego  
lugere cogar, qui, quum nuper male egerint, ne  
nunc quidem vilam admissae ab ipsis impunitatis,  
scortationis, et lasciviae poenitentiam persentiscant,

## C A P. XIII.

1. Quum ergo tertium hoc iam aduentum meum  
vobis denunciarim, (ac scitis, quae bis ac ter repe-  
tantur, de iis neminem dubitare facile solere) 2. vti  
iam ante, ita, tanquam praesens, iterum denuncio,  
et absens nunc iis, qui deliquerunt, et reliquis  
omnibus scribo, me, si iterum venero, summam  
seue-

seueritatem adhibiturum, 3. praesertim, quum vi-deam, vos experiri velle, sitne Christus ipse, qui me docere inter vos iusserit, nec ne? qui tamen, tan-tum abest, vt infirmum se inter vos, vt potentissimum adeo exhibeat. 4. Etsi enim, vt homo, in crucem actus fuit, tamen diuina vi in vitam reuocatus, iam vinit. Pariter et, nos, quanquam eius caussa admodum vexamus, tamen, adiutos ab eo, non plane nihil valere, ostendemus, idque per vir-tutem diuinam, quaे inter vos se exseret. 5. Vos ipsos modo explorate, quaeso, verēne Christiani facti sitis, nec ne, vos ipsos experimini. Nonne, Iesu Christi doctrinam inter vos vigere animaduer-titis? nisi forte prorsus in profanis adhuc numerandi estis. 6. Quod nisi ita est; spero, nec nos a vobis reiectum iri. 7. Evidem Deum precibus vehementer obsecro, ne vos mali quidquam sinat committere, vt non tam legationis meae veritatem opus sit defendere, quam vos *vestra sponte recte* agatis; *quod si fiat*, libenter sane equidem im-po-stor vobis videri velim. 8. Neque enim nobis con-tra veritatem quidquam licet, sed pro veritate omnia decet facere. 9. Quippe non modo laeta-mur, si, dum nos abstinere a duris malorum reme-diis possumus, vos interim fiducia et virtute cre-scatis, verum etiam id ipsum, hoc est, vestram in bono confirmationem, omnibus votis optamus. 10. Itaque absens haec scripsi, ne praesens ea potestate, quam mihi Dominus meus, non nocendi, sed iu-vandi caussa, tribuit, seuere vti cogar.

11. Caeterum bono animo este, o carissimi, in bono proficite, vos inuicem hortamini, concordiae et paci studete; quo pacto Deum, amoris omnis ac felicitatis auctorem, vobis propitium estis habi-turi.

turi. 12. Salutate vos inuicem, et sancto osculo  
excipite. Salutant vos omnes Christiani. 13. Vo-  
bis autem, omnibus ac singulis Domini nostri,  
Iesu Christi, Dei O. M. benevolentia, et Spiritus  
diuini in animis vestris blanda vis contingat! Amen!

Valete!

EPISTO.

---

EPISTOLA  
PAVLI AD GALATAS.

---

CAP. I.

1. Paulus, legatus, non hominum auctoritate aut ministerio, sed a Iesu Christo *ipso*, ac Deo patre, qui eum a morte in vitam reuocauit, *constitutus*, 2. et, qui mecum sunt, Christiani omnes, coetibus per Galatiam sacris 3. salutem, ac fauorem Dei patris ac Domini nostri, Iesu Christi, *precamur*, 4. qui scelerum nostrorum caussâ, mortem oppetiit, vt nos, ex consilio Dei, patris nostri, huius aetatis miseriis ac vitiis erectos, *ad felicitatem semipiternam perduceret*, 5. cui propterea laus aeterna debetur. Amen.

6. Miror sane, vos tam subito a doctrina Christi, qui vos tam benigne ad bonorum, ab ipso partorum, vsum vocarat, desciscere ad aliam de ipso doctrinam potuisse, 7. quae profecto nulla est,

Kk tam-

tametsi scrupulos iniicere vobis student impostores quidam, qui religionem Christi peruersam malent. 8. Sed quantumuis nos ipsi, aut aliquis de caelo angelus, aliam vobis doctrinam tradiderit praeter eam, quae vobis iam per nos ipsos tradita est, hunc scitote, diris deuouendum esse. 9. Quod iam dixi, iterum dico: Si quis aliam vobis, Christi nomine, doctrinam, praeter iam traditam, obruserrit, is diris deuouendus est. 10. *Quid enim? Vtrum, ex quo legatus diuinus sum, hominibus placere studeo, an Deo?* An hominum gratiam captare vobis videor? *Minime id quidem.* Humanae enim laudes si me delectarent, sane Christi doctrinae propagandae operam nunquam dedisset. 11. Nolim quippe vos ignorare, o carissimi, doctrinam, quam ego vobis tradidi, nihil redolere humanae imbecillitatis; 12. neque ego eam ab homine vlo accepi, aut edoctus sum, sed a Iesu Christo ipso acceptam seruo. 13. Audiistis enim haud dubie vos quoque, qualem me gesserim, quam Iudaicis adhuc sacris essem addictus, quam vehementer coetum, Deo sacrum, vexarim atque afflixerim; 14. quam longe nationis meae aequales, ingenti in Iudaicæ religiōnis scientiā progressu antecesserim, quātā denique pertinaciā maiorum disciplinam et placita defenderim. 15. Sed idem ego, postquam intellexeram, Deo, qui me, *velut* a matris vtero secretum, gratuitæ benignitatis suae exemplum facere decreuerat, plausisse hoc, 16. vt paulo interiorem filii sui notitiam mihi impertiret, quo *commodius* deinde inter gentes, a Iudeis diuersas, hanc propagarem; non longas sane cum aliis ea de re deliberationes institui; 17. neque Hierosolymam ad reliquos Christi legatos, qui ante me id munericis obierant, profectus sum; sed rectā in Arabiam contendī, atque inde

inde Damascum redij. 18. Triennio demum ex-  
acto, Hierosolymam veni, vt Petrum de facie cognos-  
cerem, apud quem non nisi quindecim dies com-  
moratus sum. 19. Neque ibi tum alium ex eius  
collegis vidi, nisi Iacobum, Iesu Christi cognatum.  
20. (Quae hic vobis scripsi, ita me Deus amet, vt  
sunt longe verissima.) 21. Deinde in tractus Syriae  
ac Ciliciae commigrani, 22. eramque tum Christi-  
nitis per Iudeam coetibus facie adhuc incogni-  
tus, 23. nec nisi fando hi audierant, eum, qui  
ipsos olim omnibus modis afflixisset, nunc ipsam  
illam doctrinam *aliis* tradere, quam ante tam acerbe  
persecutus esset. 24. Vnde non mediori laetitia  
*perfusi*, mea caussa Deo gratias agebant demis-  
simas.

## CAP. II.

1. Deinde post annos quatuordecim rursus Hierosolymam cum Barnaba, assumto etiam Tito, pro-  
fectus sum, 2. idque diuino monitus oraculo, vt  
hoc iter susciperem. Ibi doctrinam Christi, quam  
inter gentes exteris traderem, palam quidem omni-  
bus, priuatum vero his, qui maxima auctoritatis  
erant, exposui, vt appareret, me nec adhuc operam  
lusisse, nec in posterum lusurum esse. 3. Euen-  
tusque fuit hic, vt ne Titus quidem, comes meus,  
quoniam Graecus esset, cogeretur se circumcidere.  
4. Fuimus autem in recusanda circumcisione tam  
pertinaces propter quosdam falsos Christianos, qui  
clam irrepserant, vt libertati, quam doctrina Iesu  
Christi nobis indulserat, insidiarentur, nosque *le-*  
*gis Iudaicae* iugo iterum subiicerent. 5. Quibus ne-  
latum quidem vnguem cessimus, ne per inconstan-  
tiam nostram detrimenti quidquam doctrinae Chri-

Kk 2

stia-

stianae veritas apud vos caperet. 6. Quod autem ad illos summæ auctoritatis viros attinet, (qui quinq[ue]cunque demum sint, mea nihil interest, quum Deus humanas auctoritates minime respiciat) certe aduersus meam doctrinam nihil illi monuerunt, 7. imo, quum vidissent, sicuti Petro apud Iudeos, ita mihi apud reliquas gentes docendas religionis Christianae munus a Deo commissum esse; 8. (vtrique enim nostrum pari eum auxilio adfuisse, inter omnes constabat,) 9. cognito tam felici laboris mei successu, Iacobus, Petrus ipse, et Iohannes, quibus *velut* columnis res Christiana videbatur insistere, dextras mihi et Barnabae, signum communis caussae et societatis, dederunt; *facto simul decreto*, vt nos per caeteras nationes circumiremus, ipsi Iudeae se finibus continerent. 10. Id vnum nos rogabant, vt ne egenos Iudeos, in alias regiones delati, obliuisceremur; quod et ipsum ne a me fieret, sedulo equidem cauere studui.

11. Sed quum Petrus Antiochiam venisset, paulam equidem cum obiurgauit, quum reprehensione esset dignissimus. 12. Nam ante, quam legati a Iacobo venissent, communis cum Graecis mensa vtebatur; vix autem illi aderant, quum, Iudeos veritus, dissimulare sententiam suam incipiebat, sequi ab illorum *conuictu* segregare. 13. Cuius exemplo inducti etiam reliqui Iudei sese pariter segregabant, quin ipse adeo Barnabas hac eorum dissimulatione ad tergiuersandum mouebatur. 14. Ego autem quum haec eorum facta cum doctrinae Christianae simplici veritate pugnare vidisem, coram omnibus Petrum ita increpare audebam: „Si tu, qui tamen Iudaicis sacris addictus es, Graeco more, non Iudaico, recte te, putas, posse viuere; cur, quae-

quaeso, Graecos Iudaicis moribus accommodare se  
exemplo tuo cogis? 15. Nos quidem, quantumuis  
nati e Iudeis sumus, non e caeteris gentibus, quas  
nostra natio vt impias abominatur, 16. tamen,  
quum sciamus, neminem seruandis Mosaicæ legis  
ritibus, sed solâ fiducia, in Iesu Christo reponendâ,  
placere Deo posse, et ipsi religionem Iesu Christi  
suscepimus, vt hac fiducia, non legis ritibus ser-  
vandis, fauorem divinum consequeremur; nam,  
vti iam dixi, horum vel sollicitissimo vsu nemo  
apud Deum quidquam proficiet. 17. Si igitur nos,  
qui omnem salutem in Christo quaerimus, impii  
adhuc essemus habendi, nisi rituum Iudaicorum  
legem seruaremus; nonne Christus, qui nos se solo  
niti iussit, nos ipse damnabiles sic quodammodo  
redderet? Sed absit, hoc quidem vt statuamus,  
longissime. 18. Quod si, quae destruxi, rursus  
erigo, nonne, me prius errasse, eo ipso confiteor?  
19. Evidem a lege Mosaicâ, per aliam legem,  
veluti coniux a coniuge per mortem s̄ciunctus  
sum, vt soli iam hinc Deo viuam. 20. Perinde  
igitur est, ac si ipse cum Christo in crucem actus  
essem; cui quidem, propter accepta ab ipso bene-  
ficia, adeo obstrictus atque cum eo coniunctus sum,  
vt ne ipse quidem viuere dici possim, sed Chri-  
stus in me videatur viuere. Certe quidquid iam  
huius vitae superest, fiduciâ in hunc Dei filium  
omne continetur, quum tanto quidem is me amore  
amplexus sit, vt acerbissimam pro me necem oc-  
cumberet. 21. Nunquam igitur impetrare a me  
possum, vt Dei beneficia parui pendam; appetet  
autem, Christum frustra mortuum videri, si ser-  
vandis ritibus Mosaicis fauorem diuinum conse-  
quamur.

## CAP. III,

1. O igitur vos vere stultos, o Galatae mei! Quis, quaequo, vobis eam *velut* incantauit insipientiam, ut veritatem tanta pertinacia repudiaretis? Quibus tamen *tam luculenter* Christus ante oculos est depictus, tanquam apud vos ipsos in chucem actus fuisset? 2. Id vnum e vobis liceat quaerere, vtrum seruandâ lege Iudaicâ, an e doctrina de fiduciâ in Christo ponendâ, Spiritus diuini vim, ac beneficia consecuti estis? 3. Adeone desipitis, ut, quum cultu sublimiori, sensibus vere piis praestando, exorsi sitis, alio, meris ritibus externis constante, nunc desinatis? 4. Tanta igitur vobis *beneficia* frustra contigerint, si modo frustra, *nec magno potius vestro cum detimento?* 5. Is igitur, qui vobis Spiritus sui dona impertiit, et per vos tot miracula edidit, vtrum hoc propter Iudaicos ritûs, *a vobis religiose seruatos*, an propter spes illas, quas Christi doctrina vobis ostendebant, fecisse existimandus est? Propter has, *ni fallor.* 6. Neque alia ratione illa Abrahamus fauorem diuinum consecutus est, nisi, quod fidem Deo habuit; 7. vnde videtis sane, nonnisi, qui idem fecerint, veros huius viri filios censendos esse. 8. Atque hinc Moses, qui, Spiritu diuino admotus, praeuidebat, fore aliquando tempus, quo omnes gentes Deo non nisi per fiduciam, in ipso positam, placerent, promissionem, Abrahamo datam, adiecit: „Per te omnes terrarum orbis populi erunt beatissimi.“ 9. Vnde luculenter patet, eos tantum, qui Deo credant, in eiusdem cum Abrahamo felicitatis communione venturos esse. 10. Quicunque igitur e lege adhuc pendent, eos, necesse est, esse infelicissimos, vii docent illa legis

legis ipsius verba, quibus ea magnum poenarum diuinarum cumulum minatur his, qui non ita singulis eius praeceptis paruerint, vt iis plane satisfiant. 11. Neminem autem seruandā lege Deo placere satis posse, ex alio sacrorum librorum loco patet, vbi „is tantum, qui suam Deo fiduciam probarit, in perpetuum beandus“ dicitur. 12. Atque lex nihil plane fidei tribuit, sed, vt modo dicebam, quisquis singulis legis capitibus satis fecerit, is demum aeternam salutem consequetur. 13. Solus Christus est, qui nos a minacibus istis diris, legi adiunctis, liberauit, quum eas, a nobis quasi deductas, in seipsum deriuauit, (diris enim deuotus in ipsa lege appellatur, quisquis e ligno peperderit) 14. non alio sane consilio, nisi vt bona, Abrahamo promissa, etiam aliis gentibus per Christum Iesum contingenter, adeoque etiam nos, fiducia in ipso ponenda, promissam Spiritū diuini vim in nobis experiremur.

15. Hanc rem, agite, carissimi, exemplo, è communi vita petito, illustremus. Ne hominum quidem quisquam promissum, semel a se datum, retractare audet, aut eius verbis facto repugnare. 16. Iam vero Abrahamo et stirpi eius (semen *Hebrei appellant*) promissa certa ab ipso Deo promulgata sunt; vbi Deus non dicit: *semini tuis*, quasi de pluribus sermo esset, sed: *seminī tuo*, tanquam de uno e posteris loqueretur; qui non aliis, nisi Christus cum suis est intelligendus. 17. Recte igitur, opinor, nego, promissionem hanc, quo Deus Christum reapicit, a lege, quadringtonitis demum et triginta annis post promulgatā, ita rescindi posse, vt haec illam tollat. 18. Si enim illa bonorum caelestium velut here-ditas

ditas propter seruatam legem contingere, non iam posset liberrimae promissioni diuinæ tribui; atqui Abrahamo diserta promissione assignata est. 19. Quid ergo lex? aliquis quaerat. Ea vero de-  
lictorum caussâ, et agnoscendorum et impedien-  
dorum, adiuncta fuit; vsquedum adesset illud  
semen, cui alligata fuerat illa promissio; nec ea,  
nisi per alios, hoc est, per angelos et Moysen in-  
terpretem, promulgata est. 20. Hic autem quum  
interpres vnius partis, hoc est, reliquarum genti-  
tium, non sit, Deus unus ac solus cum his agit.\*)  
21. An igitur fieri putemus posse, ut lex eius cum  
promissis eiusdem pugnet? Minime vero. Alia  
sane res esset, si lex data fuisset, quae vires ad  
satisfaciendum ipsius praceptis largiretur; tum  
enim concedi posset, per eam seruatam Dei O. M.  
fauorem nobis contingere. 22. Nunc diuini libri,  
omnes omnino homines vitiosos esse, contendunt,  
ut pateat, nonnisi fiduciâ, in Iesu Christo po-  
nenda, participem quenquam bonorum promisso-  
rum fieri posse. 23. Antequam vero haec de  
Christo doctrina salutaris innotesceret, legis veluti  
septo clausi continebamur, donec religio Chris-  
tiana diuulgaretur, 24. ut lex ista nos veluti manu  
ad Christum duceret, cuius fiducia vnicे Deo pla-  
cere possemus. 25. Iam quum tandem illuxerit  
tempus illud felicissimum, non amplius huius  
qua-

\* ) In hoc loco vexatissimo, totque interpretum sen-  
tentias tentato, non nisi, quid mihi verisimile, vi-  
deretur, Latine expressi, nullius caeteroqui sen-  
tentiam reiecturus, aut in falsi suspicionem addu-  
eturus, quum ne ipse quidem mihi hac interpreta-  
tione satisfaciam.

quasi paedagogi imperio subesse cogimur, 26. Omnes enim per fiduciam in Christo Iesu positam, filiorum loco abs Deo habemini; 27. et quicunque Christi nomine, sacro fonte initiati estis, hunc ipsum velut induistis. 28. Nulla hic Iudeorum aut Graecorum, nulla seruorum aut ingenuorum, nulla denique maris aut foeminae mentio, quum omnes ac singuli pares, Christo Iesu procurante, facti sitis. 29. Quod si Christiani estis, etiam Abrahams vera posteritas, adeoque heredes bonorum, huic promissorum, merito eritis existimandi.

CAP. IV,

1. Porro, quemadmodum heres, quamdiu pupillus est, quantumvis dominus facultatum patris omnium sit, tamen a seruo nihil differt, 2. sed praefectis et procuratoribus subest, ad eum usque diem, quem pater ei praestituerit; 3. ita et nos, quum eramus adhuc quasi pupilli, Mosaicorum rituum seruicio tenebamur; 4. postquam autem tempus, a Deo destinatum, aderat, filium hic suum humana matre nasci, ac Iudaicae legi subiictere se iussit, 5. vt, qui legis huius vinculis tenerentur, hos iis exsolueret, et in plena filiorum iura restitueret. 6. Quorum in numerum quum et vos eitis iam recepti, Deus Spiritus sui, quas propter filium dare solet, dotibus vos instruxit, qui vos, quomodo verum ipsum patrem et agnoscatis, et inuocetis, doceat. 7. Vnde, quisquis es, o carissime, non seruus es amplius, sed filius; si filius, etiam per Christum felicitatem aeternam, tanquam hereditatem, abs Deo sperare tibi licebit.

8. Ac

8. Ac vos quidem olim, haud mirum est, quum verum Deum adhuc ignoraretis, falsis Diis cultum diuinum praestitisse; 9. nunc autem, postquam illum nosse coepistis, seu potius ab illo tot amoris paterni pignora accepistis; quomodo, quaeso, potestis ad tenuia illa et infirma rituum velut elementa relabi, iisque denuo, seruorum in modum, vos subiicere? 10. Ecce, dierum rursum, mensium, anniuersariorum sollemnium, omninoque temporum discrimina anxie seruatis. 11. Metuo sane vobis, ac plane vereor, ne vestrā caussā prorsus incassum laborauerim. 12. Imitamini, quaeso vos, meum exemplum, qui me per omnia vobis accommodare studeo. *Et quidni hoc faciam,* quum vos me nulla in re offenderitis? 13. Scitis ipsi, quanta corporis infirmitate et animi sollicitudine pressus doctrinam Christi vobis primum traxi. 14. Nihilominus mea haec miseria vos non offendit, nec ad me contempnendum impulit, sed ita potius me exceptis, tanquam angelus, abs Deo missus, aut Christus Iesus ipse ad vos venisset. 15. O quantae *tum* apud vos congratulationes! Nam vel oculos vestros, (hoc ipse vobis testor) eratos mihi dedissetis. 16. Mene igitur *tam subito* inimicum vobis factum esse, si, quod res est, ingenuo vobis dixi? 17. Sunt sane, qui, se vobis addictos esse, prae se ferant; non bene illi quidem; nihil enim, nisi nos volunt excludere, scilicet ut vos ipsis inuicem addicti sitis. 18. Non sane vituperandum vnuquam est studium, dum sit in rebus bonis, nec modo *tum* declaretur, quum me praesentem habetis. 19. O carissimi, quos ego iam iterum magno cum dolore, *veluti mater*, in vtero gesto, donec Christi imaginem plane effectam in vobis videam, 20. *vtinam* vobis

bis praesens interesse, et, pro rei varietate, sermonem quoque ipsum apud vos variare possem! Plane enim incertus fluctuo, duriusne, an blandius mihi vobiscum agendum sit?

21. Dicite mihi, quaeso, vos, qui tam libenter legi vos subiicitis, nonne Mosis libros legistis, 22. in quibus narratur Abrahamus duo filios, alterum e serua, alterum ex vxore, suscepisse? 23. Et ille quidem, e serua, communī hominū more, hic autem, ex ingenua vxore, *praeter naturae cursum*, *praeuiā* promissione diuinā, natus est, 24. In hac historia arcani aliiquid latet; significat enim ea duplex diuinum institutum, alterum illud in Sina monte, quod non nisi seruos facit, per Hagarem *adumbratum*, 25. (haec enim vox montem Arabiae Sinaiticum designat) simul autem denotat Hierosolymam huius temporis, eiusque incolarum pertinacem legis retinendae cupiditatem; 26. sicut alterum, haud paulo sublimioris naturae, Hierosolymam *mysticam*, quae libera est, ac, *veluti Sara illa, Abrahāi vxor*, vera mater nostrū omnium. 27. Quam profecto vates ita allocutus est: „Exulta tu, adhuc sterilis, perrumpe aērem voce, et gloriare, tu, nondum hucusque grauida, numerosiorem longe prolem tuam esse, quae nupta nondum sis, quam eius, quae viro iuncta fuerit.“ 28. Ac nos quidem, o dilectissimi, sicuti *quondam Isaacus*, soboles a Deo promissa sumus. 29. Sed quemadmodum illo *Abrahāi aevo* seruae filius, communī sorte natus, alterum, qui *praeter naturae ordinem* erat editus, inimica ratione persecutatur; ita et nunc *Iudaei impīi* nobiscum agunt, 30. Verum bene est, quod, *tum seruam cum filio suo expulsam*, neque ancillæ filio, *vt cum vxoris liberae filio pari hereditatis iure gaude-*

*ret,*

deret, permisum fuisse, libri diuini narrant, 31.  
Vnde patet, quid nobis, qui, *alio sensu*, non  
sernae, sed herae filii sumus, sperandum sit,

## CAP. V.

1. Vehementer itaque vos rogo, ut in libertate,  
quam Christus vobis recuperavit, persistatis, nec  
seruitatis iugo vos iterum subiiciatis. 2. En! ego  
Paulus hoc vobis palam dico, si vos sinatis circum-  
cidi, Christum vobis nihil plane profuturum esse.  
3. Idem rursus aio, vnicuique circumcisionis pa-  
tronu totius legis seruandae onus incumbere, 4. et  
quicunque hac seruandâ Dei O. M. fauorem stu-  
deat consequi, tum a Christo desciuuisse, et ipso  
illo fauore diuino, quem quaerit, excidissee. 5. Nos  
contra, Spiritu diuino acti, e fiducia in Christum  
promissum Dei fauorem consecuturos nos spera-  
mus. 6. Ad huius enim doctrinam, nihil plane  
refert, circumcisusne aliquis sit, nec ne? sed  
in èa sola valet fiducia, quae officiis diuinis et hu-  
manis exsequendis se exserit.

7. Ac vos quidem promissime currebatis; quis  
ergo vos impediebat, quo minus porro veritatem  
sequeremini? 8. Certe, qui diuersa vobis persua-  
serunt, ab eius consilio, qui vos ad Christi do-  
ctrinam adduxit, longe sunt alienissimi. 9. At-  
qui paululum erroris veluti fermentantis totam do-  
ctrinæ massam penetrare solet. 10. Caeterum  
quanquam non vereor, ita me Christus amet! ne  
vos ad aliarum opinionum commenta abripi sinatis;  
tamen, quicunque tandem sint, qui vos turbant,  
meritas audaciae suae poenas luent. 11. Quod au-  
tem meipsum quidam circumcisionis fauorem di-  
cti-

ctitant, id si verum esset, an me Iudeos tam  
vehementer adhuc persecuturos putatis? 12. Ut-  
nam, qui turbas inter vos excitant, plane exsecti  
sint! *Per me quidem hoc illis licet!*

13. Vos igitur iam, o carissimi, quum in liber-  
tatem vindicati sitis, cauete, quaeso, ne huius  
obtentu cupiditatibus vestris fracula laxetis, sed mu-  
tuui potius inter vos amoris *veluti seruitutem* ser-  
viatis. 14. Tota enim diuina lex uno illo praec-  
cepto continetur, quo alios amare, ut nos ipsos,  
iubemur. 15. Quod si vos ipsi inuicem mordere  
atque arrodere volueritis, videte, quaeso, ne mu-  
tuuis et ipse vulneribus conficiamini. 16. *Summa*  
*eorum*, quae vos monitos volo, haec est, ut Spi-  
ritus diuini motibus internis pareatis, neque natu-  
rae vitiosae cupiditatibus obsequamini. 17. Hae  
enim illis repugnant, sicut illi rursus his, estque  
perpetuum inter utrasque bellum, *quo admone-*  
*mini*, ut ne, quo vos naturae fert impetus, eo  
statim abripi vos sinatis. 18. Quod si diuinus  
vos Spiritus regit, non est, quod legis poenas am-  
plius metuatis. 19. Caeterum facillime agnosciri  
possunt vitiosae naturae effectus, *v. c.* adulteria,  
scortationes, immunditia, lascivia, 20. falsorum  
Deorum cultus, beneficia, inimicitiae, lites, in-  
videntia, iracundia, rixae, dissidia, factiones, 21.  
odia, caedes, ebrietas, comissiones, et his simili-  
les; quas res quicunque sectantur, hos et dudum  
negaui, et adhuc nego, felicitatem aeternam un-  
quam consecuturos. 22. Verae contra pietatis, a  
Spiritu diuino insitae, effecta sunt beneficentia,  
animus laetus et tranquillus, concordia, patientia,  
humanitas, benignitas, fides, mansuetudo, casti-  
tas,

526 EP. PAVL. AD GAL. CAP. V. v. 25-25. VI. 1-7.

tas, 23. quas virtutes, tantum abest, ut lex impedit, ut vel maxime exigat. 24. Qui autem Christum vere colunt, vitiosam naturam suam cum omnibus istis affectibus et cupiditatibus coercere et quasi in crucem agere cum Christo solent.

25. Omnino si vires ad sancte vinendum a Spiritu domino accepimus, eas quoque nobis inesse, vita et factis probemus; 26. neque inanem gloriam mutua velitatione at inuidentia auctoripemur.

## CAP. VI.

1. Si quis tamen, o mei, humana infirmitate lapsus, forte peccauerit, vos, qui diuino beneficio firmiores estis, eum blandis verbis corrigite, et vobiscum perpendite, annon et ipsi subinde ad peccandum inclinetis? 2. Alius enim, quidquid in alio ipsi molestum est, aequo animo ferre si dicerit, Christi praecopsis omnino parebitis. 3. Quod si quis aliquid sibi esse, sine causa videatur, is magnopere fallitur; 4. quin potius videat quisque, ut sine culpa sit; qualis si fuerit, propter hoc laudem habebit, non propterea, quod alio fortasse melior est. 5. Nemo enim ex aliorum, sed e sua ipsius dignitate et pretio iudicabitur.

6. Caeterum, qui ab alio in religione institutus, doctori suo pauperi, curet, ut bene sit, quantum fieri potest. 7. Mihi credite, nec vos ipsi fallite; Deus non sinit se per falsos auaritiae ob-

*obtentus deludi.* Ut enim quisque sementem fecerit, ita et metet. 8. Nam qui impensas in res vanas et impias fecerit, pessimos inde fructus percipiet; qui contra opes suas in religionem et egenos eius doctores impenderit, aeternam felicitatem, diuinitus in ipso effectae huius beneficentiae fructum dulcissimum consequetur. 9. Nunquam igitur beneficii iuuare alios cessemus; nam nisi ab hac virtute remittamus, largissimam suo tempore messem colligemus. 10. Vnde et, quamdiu per hanc vitam nobis licet, munificos nos, cum omnino erga omnes, tum in primis erga hos geramus, qui eiusdem religionis professione nobiscum sunt coniuncti.

11. Videte, quae so, quam longam epistolam mea manu ad vos scripserim. 12. Qui gratiam vestram *impie* captant, hi vos ad circumcidendum eo tantum consilio volunt cogere, vt ne incommoda ex professione Christi, in crucem acti, sentiant. 13. Neque enim ipsi, quantumuis circumcisi, legem *adeo* anxie seruant, sed vos tantum circumcidi volunt, vt, hoc ipsum se effecisse, gloriari possint. 14. Ego contra illa alia re, longe absit, vt glorier, nisi illa ipsa Domini nostri, Iesu Christi, cruce, propter quem et ego, et impii isti homines mutuo nobis inuicem odio sumus atque contemtui. 15. Atque omnino ad religionem Iesu Christi nihil refert, circumcisusne aliquis sit, nec ne, dum animus eius serio emendatus sit. 16. Quam formulam quicunque sequentur, hi omni felicitatis genere beantur, ac verus Dei populus merito habentur. 17. Caeterum hinc iam nemo amplius super hac *quaestione*, negotia mihi,

mihi, quaeso, facessat. Satis quippe iam signorum, quantum pro Iesu, Domino meo, perpessus sim, in corpore meo circumfero. 18. Huius, omnium nostrum Domini, fauor et benignitas in animum vestrum semper quam maximam vim habeat, o carissimi! *Valete!* Amen!

EPISTO

EPISTOLA  
PAVLI AD EPHESIOS.

CAP. I.

1. Paulus, Iesu Christi legatus, decreto diuino constitutus, Christianis, Ephesi degentibus, et verà Christum Iesum fiducia amplexis, 2. fauorem Dei, patris nostri, et Domini Iesu Christi, cum bonis quibusque, hinc proficiscentibus, ex animo precor!

3. Dignissimus sane laudibus exquisitissimus est Deus, idemque pater Domini nostri, Iesu Christi, qui omni beneficiorum, mentem spectantium, genere per hunc ipsum nos cumulauit. 4. Ipse enim est, qui inde ab aeterno non modo, immenso erga nos amore propter hunc impulsus, voluit nos sanctam et inculpatam, vel ipso iudice, vitam agere, 5. verum etiam, ut hoc possemus, adoptionis ius, propter Iesum Christum, liberrima

L1 beni-

benignitate nobis destinauit; 6. eo quidem consilio, vt laus omnis ad ipsum rediret fauoris eius, quo nos dignatur propter eum, qui ipsi est carissimus. 7. Hic enim cruenta morte nobis salutem amissam restituit, vt immensa *patris* benignitas nostra nobis delicta condonare posset, 8. quam ille, saluâ tamen sapientiâ, *pariter immensâ*, largissime in nos effudit. 9. Idem porro, liberrimo voluntatis decreto, consilium illud suum nobis patefecit, antehac occultissimum, 10. se, elapo tempore destinato, Christum declaraturum esse principem omnium, siue in caelis essent, siue in terris versarentur. 11. Cuius quidem causâ non modo nos spem bonorum caelestium habemus, primi quippe patris summi, omnia agentis liberrime, benigno decreto delecti, 12. vt summis laudibus eius maiestatem efferremus, primique spe nostrâ Christo niteremur; 13. verum etiam vos *caeteri*, perceptâ doctrinâ verissima, auditoque de salute, aeternâ sperandâ, nuncio, fideque illi habitâ, Spiritus diuini, vobis promissi, dotibus ante alios instructi ac velut obsignati estis; 14. quae pignoris loco sint, vos aliquando liberationem à malis omnibus, cum summa Dei O. M. gloriâ consecuturos.

15. Quapropter et ego, ex quo de vestrâ in Dominum Iesum fiduciâ et fraterno in omnes Christianos animo certior sum factus, 16. nondum desii propter vos Deo gratias agere, vestrique mentionem in precibus meis ita facere, 17. vt abs Deo Domini, Iesu Christi, eodemque nostrum omnium patre glorioissimo, vobis impetrare studeam Spiritus diuini dotes, quibus ille maiorem indies sapientiam suique notitiam vobis impertiat, 18. men-

tis.

tisque vestrae *velut oculos ita acuat*, vt luculenter perspiciat, quanta vos beneficia sperare vestra religio iubat, quam diues et illustris sit illa sanctis promissa hereditas, 19. quam immensa denique magnitudo efficacia eius in animos Christianorum, vt quae non inferior sit eà ipsius vi, 20. quâ vsus est tum, quum Christum ipsum, ex morte in vitam renocatum, in caelum euexit, paremque sibi factum 21. praeposuit omni principatûs, potentiae, dignitatis et imperii generi, rebusque omnino omnibus, quae nunc sunt, et in posterum existent. 22. Haec enim singula eius potestati subiecit, et sumnum sacri coetûs caput ipsum esse iussit, 23. qui *veluti corpus eius est et multitudo membrorum, quae omnia ac singula uno illo animantur, vimque, vitam, ac robur omne sor- tiuntur.*

## CAP. II.

1. Vos autem in primis idem pater benignissimus, peccatis et sceleribus plane immersos, 2. (quibus olim ex pernere saeculi more indulgebat, instigante insuper potenti illo impietatis omnis principe, spiritu eo, qui in hominibus sceleratis negotium suum agit, 3. quibus nos quoque annumerandi omnes eramus, dediti quippe adhuc corporis cupiditatibus, ac sensuum malique animi nutibus obtemperantes, adeoque, ne ipsâ quidem naturâ caeteris meliores, 4. nisi Deus, immensa commotus misericordia, incredibili amore nos amplexus fuisset) 5. nos igitur *vtrosque* sceleribus plane immersos, ac *velut* immortuos, vna cum Christo ad vitam, (idque gratuito fauore) renocauit, excitauit, 6. et per eundem, Christum Iesum, ad

L1 2 bono-

bonorum caelestium spem enexit, 7. non alio consilio, nisi, ut venturis saeculis inexhaustum benignitatis suae, per Christum Iesum in nos redundantis fontem aperiret, 8. Gratuito enim, vestrā in eum fiducia seruati estis, non vestro aliquo merito; solius haec res est diuini beneficii. 9. Beneficii, iterum dico, non vestrae virtutis, ne quis forte se iactare audeat, 10. Nam vnius Dei O. M. sumus opificium, per Christum Iesum prorsus transmutati, ut virtutes Christianae in vita nostra apparerent, ad quas ipsas etiam demonstrandas Deus idoneis nos viribus instruxit.

11. Ne igitur, quaeso, obliuiscamini, vos olim īmpiam gentem fuisse „praeputii“ insuper contumelioso nomine ab his traductam, qui se „circumcisionis“ (quanquam et haec tantum in carne manu extrinsecus fiebat) honorifico titulo iactabant; 12. fuisse porro eodem tempore a Christo aueros, ab institutis Indiaicis alienos, a foederum diuinorum promissis exclusos, spe certā futuri nullā nixos, denique sine Deo temere viuentes; 13. nunc autem demum, Christo auctore, cum ante longius ab eo abessetis, per mortem eius cruentam proprius quasi ad ipsum admotos esse. 14. Hic enim verus concordiae auctor est, qui vtrasque nationes coniunxit, 15. tollenda per mortem suam illa veluti sepe et parieto intergerino, hoc est, abolidis Iudaicorum rituum legibus, inimicitiae fonte et causa, quo magis operā suā, pacem instaurando, quasi duos homines in vnum, eumque nouum, compingeret, 16. vtrosque autem, in vnum corpus redactos, Deo per supplicium crucis reconciliaret, in crucem simul actis inimicitis omnibus. 17. Idem vtrisque, cum remotioribus vobis, tum pro-

propinquioribus *nobis*, laetum hac de pace nuncium ferendum curauit, 18. nos iam, ipso conciliatore, communem concordibus animis aditum hinc ad patrem benignissimum esse habituros.

19. Quapropter iam vos non estis amplius peregrini aut vicini tantum habendi, sed ciues Christiani, et pro quadam Dei familia reputandi, 20. domoque, eius fundamenta et membra prima sunt Apostoli, aliqui viri, diuinitus inspirati, lapis autem angularis Christus ipse recte censemur, 21. cuius vi coagmentatum uniuersum aedificium surgit, ac templum Domini exhibit longe sanctissimum, 22. cuius vos quoque partes estis, in quibus per Spiritum suum habitare Deus O. M. dignatur.

### C A P. III.

1. Hanc ipsam ob rem ego Paulus, propter Christi professionem, et vestram caussam, quotquot Iudei non estis, vinculis constrictus teneor. 2. Audistis enim, ni fallor, de attributo mihi per benignitatem diuinam inter vos docendi munere, 3. qua Deus mihi seorsim notam fecit rem, antea omnibus ignotissimam (de qua paulo ante scripsi; 4. unde facile relegendi potestis cognoscere, perspicaciamne arcana Christi consilia, nec ne?) 5. et quae nullo unquam tempore ita hominum cuiquam patentefacta est, vti nunc sanctis eius interpretibus aliisque viris, diuinitus inspiratis singulari eius afflato innotuit. 6. Ea autem reddit huc, ut in posterum reliquae etiam gentes cum Iudeis ad communionem felicitatis in republica diuina, bonorumque per Christum promissorum, per eam doctrinam laetissimam veniant, 7. ad quam profitandam sin-

singulari quodam fauore Deus me viribus extraordinariis pro omnipotentia sua instruxit. 8. Quanquam enim sum inter omnes populares meos longe vilissimus; hoc tamen beneficii m̄hi p̄ae caeteris contigit, vt gentibus profanis inexhaustos benignitatis dininae fontes aperirem, 9. iisque plausum facerem, nunc demum cum omnibus communicandam esse rem, a longissimis inde temporibus ab ipso Deo occultatam, qui mendum vniuersum per Iesum Christum condidit. 10. Ita autem profectō fiet, vt principibus regionam caelestium et ordinibus, ex mira sacri coetus gubernatione innotescat, quam multiplex Dei sapientia, 11. in aeterno ipsius decreto, propter Christum Iesum, Dominum nostrum, facto, versetur, 12. quo si spes nostra nataatur, summa cum fiducia et libertate ad patrem caelestem accedere nobis liceat. 13. Vnde vehementer vos rogo, ne animum propter eas calamitates despondeatis, quas vestrā causā experior, quum quidem summus indidem ad vos honor redundet. 14. His igitur, inquam, de caassis supplex veneror patrem Domini nostri, Iesu Christi, 15. a quo omnes et caeli et terrarum incolae, in vnam quasi familiam coalescentes, filiorum appellationem dulcissimam sortiuntur, 16. vt, pro infinita sua potentia, vos iubeat per Spiritū sui impulsū indies virtute interna crescere, 17. Christum autem, per fiduciam, in ipso positam, domicilium quasi in animis vestris figere, 18. cuius vos amore implicati et innixi, cum caeteris sanctis omnibus intelligatis, beneficentiae diuinæ ambitum infinitum esse, 19. planeque perspiciatis, Christi in nos amorem nullā humanae scientiae vi satis perspici posse; vnde sua sponte continget, vt dotium divinarum copiae largissime e vobis et omni vita vestra redundant. 20. Atque

que huic Deo O. M. qui longe plura dare potest atque efficere, quam nostrum quisquam petat, vel adeo exspectare possit, (quod vel e sola eius in nos ipsos efficientia licet colligere) 21. huic, inquam, in sacro Iesu Christi coetu, per omnes mundi aetates, et saecula infinita laus omnis et gloria tribuatur!  
Amen!

### CAP. IV.

1. Rogo igitur vos atque obtestor ego, propter Dominum Iesum captiuus, ut dignam professione doctrinae, quam estis amplexi, vitam agatis, 2. ut toleretis vos innicem, amore compulsi, summa cum modestia, lenitate et mansuetudine, 3. ut denique animorum concordiam, pacis veluti vinculo effectam, conseruare studeatis. 4. Quid enim? Vnum omnes corpus efficitis, uno Dei Spiritu animamini, ad unius eiusdemque felicitatis spem adducti estis. 5. Vni pareatis Domino, vni religionis formulae addicti, uno sacro fonte iniciati omnes estis. 6. Vnum denique colitis Deum, eundemque patrem omnium, superiorem omnibus, efficacem omnibus, auxilio praesentem omnibus. 7. Dotes autem miraculorum, quibus instructi estis singuli, quanquam diuersae, tamen ab uno fonte, gratuita Christi benignitate, fluxerunt, qui sapientissime eas distribuit. 8. Vnde in libris sacris veteribus dicitur is „adscendisse, de hostibus triumphasse ac dotes, hominibus distribuendas, accepisse.“ 9. Quod si „adscendit“ nonne hinc intelligitur, eum prius de caelo in terram descendisse? 10. Vtrumque sane idem, et descendit et ascendit, super omnes caeli orbes, ut omnes Spiritus sui dotibus impleret. 11. Atque ex eo inde tempore alios Apostolorum, alios Pro-

phe-

phetarum, alios Euangelistarum, quos vocant, alios denique pastorum ac doctorum munus obire ipse voluit, 12. non alio certe fine, nisi hoc, ut sancti eius cultores ad sua quisque munia apti essent, et ad exstruendum Christo *vehiti* corpus idonei, 13. ut sic omnes ac singuli perueniremus ad consensum doctrinae et cognitionis filii Dei, et refereremus perfecti viri *quasi* imaginem, qui iustum perfecti corporis Christi modum impleret; 14. ne porro, puerili more, quo quis opinionum *veluti* vento circumacti, quas hominum versutia et calliditas ad alios fallen-dos mira arte excogitauit, moueremur; 15. sed, coniungendo cum amoris integritate veritatis sequendae studio, quotidie proficentes, per omnia similes fieremus capiti nostro, Christo, 16. qui quidem facit, ut hoc corpus, coagmentatum nexus auxilioque mutuo suppeditando, et conglutinatum, pro mensura *virium* cuiusque partis, incrementa vniuersum capiat, et alterum membrum alteri prodesse quam amantissime studeat,

17. Quapropter etiam atque etiam vos moneo atque obtistor per ipsum Dominum, ut ne talem amplius vitam sequamini, quamlibet reliqua gentes, vanissimo animi sensu abreptae, sequuntur. 18. Hae enim, propter summam inscitiam atque insignem mentis stuporem, animo *velut* excaecatae, a vita, Deo consecrata, longe sunt alienissimae, 19. iamque callo quodam mentibus obducto, seipsae ad libidinem et omne genus impuritatis insatiabilis abiecerunt. 20. Talem equidem Christi doctrinam vos certe non arbitror didicisse, 21. si modo hunc ipsum recte nostis, et ab eo edocti estis, (nihil enim is, nisi vera et bona docere solet) 22. exuentum iam vobis esse morem pristinum, illum veterem

rem *velut* hominem, per vanas cupiditatum illecebras quotidie in peius ruentem, 23. animo contra in melius mutato, 24. induendum alium nouum, qui, ex mente Dei, in vobis effectus, verae iustitiae et sanctitati studeat. 25. Itaque, abiecta mentiendi consuetudine, veracitatem in loquendo cum aliis sequimini, quum membra simus eiusdem corporis. 26. Irascimini, sed ita, vt ne peccetis, neque sol *unquam* occidat adhuc irascentibus. 27. Calumniis locum ne relinquite. 28. Quisquis furto aliis adhuc nocuit, is ab hoc se scelere in posterrum abstineat, imo suum negotium agat, manibusque tantum sibi bonorum acquirat, vnde et aliis egentibus suppeditare nonnihil possit. 29. Nunquam mali sermonis genus ullum ore vestro excidat, sed ea modo loquimini, quae in singulis causis *utilitas*, *seu publica*, *seu priuata*, postulat, et quae grata audientibus futura sunt. 30. Neque offendite sanctum Dei Spiritum, cuius dotes *veluti* pignus futurae felicitatis vestrae, accepistis. 31. Tantum denique absit, vt inter vos dominantur amarulentia, excandescencia, iracundia, clamores, calumniae, et omne omnino vitiorum genus, 32. vt contra misericordes et benigni sitis inuicem, et sicuti vobis Deus propter Christum iniurias diuinias remisit, ita et vos humanas vobis mutuo condonetis,

CAP. V.

1. Imitamini ergo Deum, quemadmodum bonaे indolis liberi parentes, 2. et amorem verisimum in omni vita prae vobis ferte, quemadmodum etiam Christus nos amauit, et tanquam victimam nidoris suauissimi, Deo se nostrâ vice obtulit, 3. Liquet igitur, neque lasciuiae, neque impurita-

tis,

tis, neque auaritiae, 4. neque turpitudinis ullum genus, neque nugas, aut urbanitatem, (quam perperam vocant) inter vos ne de nomine quidem frequentari debere, quum haec sint turpissima, sanctos autem longe alia, in primis suauitas in sermone, deceant. 5. Sic enim habetote, neminem libidinosum, vel impurum, vel auarum, (qui insuper simulacrorum cultoribus aequiparandi sunt,) consortem ciuitatis in regno Christi ac Dei esse vlo modo posse. 6. Nec sinite vos vanis aliorum sermonibus contrariis decipi, quum potius propter haec ipsa scelera poenae diuinae prafactis eiusmodi hominibus immittantur, 7. quarum in societatem ne ipsi quoque veniatis, vtique cauendum est. 8. Sane vos olim caeca mentis caigine premebamini, at nunc, postquam scientiae diuinae vobis lux assulgit, hac professione digna vobis vita instituenda est. 9. Et quum fructus mentis, diuinitus collustratae, maxime bonitate, iustitia, et veracitate cernantur; 10. sedulo vobis inquirendum est, quidnam potissimum Deo placeat? 11. Ac tantum quidem absit, vt ullum cum his rebus, obscuritatem poscentibus, commercii quidquam vobis intercedat, vt etiam vltro, talia palam perpetrari ab aliis quum videritis, eos arguere ideo debeatis. 12. Nam quae occulte ab iis fiunt, de his ne loqui quidem sine turpitudine licet. 13. Quidquid enim arguitur, a luce arguatur, necesse est; ac proinde in lucem prolatum, omnium oculis patet. 14. Vnde haec verba in sacris Iudeorum libris legimus: „Surge, qui dormis, et quasi de morte in vitam redi;“ quod si quis fecerit, tum demum eum sua Christus luce collustrabit.

15. Videndum igitur vobis vtique est, vt magna cum circumspectione, hoc est, non, vt stulti simulacrorum, sed vt sapientiae Christianae cultores viuatis; 16. in primis autem, quia tanta huius temporis est sine corruptio, siue miseria, eius breuitate partim ad cauenda mala, partim ad peragenda bona, recte viamini. 17. Vnde, ne imprudentes videamini, sed probe gnari sitis eorum, quae Deus a vobis fieri vult, 18. operam date, queso, ne tam vino vos inebrietis, vnde vita oriri solet perditissima, quam potius diuini Spiritus vi afflati, 19. psalmos, hymnos, et cantiones sacras meditemini, quas non tam vox et clamores externi, quam animus, Domino intus canens, commendet, 20. soluens ille gratiarum actionem Deo patri perpetuam, propter Dominum nostrum, Iesum Christum ei placitaram, idque propter tot tantaque beneficia, quae ab ipso accepistis.

21. Adhaec alteri alterum cedere, Dei reuerentia impulsu[m] oportet. 22. Ac primum quidem vxores maritis, tanquam Christo ipsi, subiectas esse conuenit. 23. Maritus enim vxoris *veluti caput* est, non secus, atque Christus sua reipublicae, quam vt corpus suum seruat ac fouet. 24. Quemadmodum autem Christo haec paret, ita et maritis uxores per omnia parento.

25. Vicissim vos, o mariti, uxores vestras amate, sicuti Christus rempublicam suam amat, eo vsque, vt pro illa mortem ipse obierit, 26. non aliud in finem, nisi, vt eam purgatam, et lauacro caelestis tinctam, cui magnas promissiones adiecerat, 27. pareret sibi ipse sponsam pulcherrimam, quae nec matula villa, nec ruga, aut tali aliquo vitio esset insignis,

540 EP. PAVL. AD EPH. CAP. V. v. 28-32. VI. 1-4.

signis, sed sanctitate potius ac puritate conspicienda.  
28. Pariter viri quoque amare debent vxores suas,  
tanquam sua corpora; vt, qui hoc fecerint, seipso  
amare putandi sint. 29. Atqui nemo vnquam cor  
pus suum odio habere, sed nutrire potius ac fo  
vere solet, plane ita, vt Christus in coetu, sibi  
sacro fecit, 30. eà ipsa de causa, quod sumus  
membra corporis eius ac *veluti* de eius carne et os  
sibus. 31. Vnde et Moses iam dixit, „homines  
parentum societatem relicturos, vt vxoribus se suis  
adiungant, cum quibus vnam quasi eandemque  
personam sustineant.“ 32. Subest sane huic rei  
magnum quiddam et arcanum, quod ad Christum  
et Christianos refertur. 33. Quod etsi hic planius  
explicari nequit, tamen hoc certe inde potest, de  
cere, vnumquemque vestrum, vt vxorem suam,  
vt se ipsum, diligit; vxores autem, vt viros re  
verentia prosequantur,

CAP. VI.

1. Vos autem, o filii ac filiae, parentibus vestris  
pio in Deum animo morem gerite; nam ita fieri  
debere, inter omnes constat. 2. Accedit legis diu  
nae praeceptum, (quod vnum promissionem ad  
iunctam habet,) quo iubentur omnes patrem ac ma  
trem honore prosequi, 3. vt, cum vita longaeua,  
felicitatem consequantur.

4. Vos contra, o patres, liberos vestros nimia  
morositate ne exacerbetis, sed potius disciplina sa  
lutari et monititis, ad pietatem in Deum pertinen  
tibus, educetis.

5. Vos

5. Vos, o serui, dominis, quibus per hanc vitam subestis, summa cum reverentia et animo quam simplicissimo, tanquam Christo ipsi, parete; 6. nec tantum illis praesentibus, tanquam hominibus adulaturi, sed, absentibus quoque, tanquam Christi, domini longe sublimioris, serui, ea facite, sincera mente, quae Deus fieri vult; 7. nec tam hominibus, quam Deo ipsi, toto animo seruite; 8. quum quidem probe sciatis, quidquid boni quisque peregerit, siue seruus, siue liber fuerit, eius ipsum largam abs Deo mercedem esse laturum.

9. Eandem vero humanitatem vicissim seruis praestari a vobis quoque, o heri, velim, ita quidem, vt minacem illum vultum omittatis, quum nec vobis ignotum sit, dominum aliquem communem in caelis esse, qui externam hominum conditionem minime respiciat, sed solum animum in iudicando se quatur.

10. Omnino denique, o carissimi, caelestibus vos armis studeatis munire, et virtutis diuinae rebore confirmare, 11. induentes, quidquid armorum Deus vobis ad eritandas mali daemonis insidias suggesserit. 12. Neque enim vobis pugnandum est cum infirmis et contemnendis hostibus, sed cum validissimis ac potentissimis, qui, peruersa hac aetate per totum orbem dominantur: hoc est, cum daemonibus pessimis, in aere versantibus. 13. Vnde sane vobis opus est, arma illa diuina simul omnia sumere, vt, quum calamitas ingruerit, resistere possitis, et, peracto feliciter certamine, victoriam referre. 14. Stete igitur parati ad pugnam, veritatis studio lumbos cincti, sanctitatis veluti thorace muniti, 15. doctrinae salutaris velut ocreis pedes

con-

contecti; 16. in primis vero scutum fiduciae in Deo repositae, quaqua uersum praetendite, quo cuncta tela ignita mali daemonis repercussa et exstincta delabantur; 17. galeam item spei salutaris cum gladio caelesti, hoc est, diuinis aduersus hostes vestros poenarum minis, sumite. 18. Atque hac de caussâ assiduis, iisque ardentissimis precibus cum summa vigilantia ac patientia coniunctis, Deum adite, cùm sanctorum omnium, 19. tūm mēa in primis caussâ, vt mihi aliquando rursus libere ac fortiter liceat arcana Christi doctrinam profiteri, 20. quam nunc quidem non nisi carceri inclusus cum aliis communicare possum. 21. Caeterum res meas omnes, et quid agam cùm maxime, si vos quoque scire volueritis, certiores de his vos faciet Tychicus, vir in primis mihi carus, ac fidelis idem Christi minister, 22. quem eā ipsa de caussa ad vos misi, vt et de me vobis narraret, et animos vestros confirmaret.

23. Utinam Christianis omnibus cum vera fiducia amor mutuus et summa concordia, Dei patris O. M. ac Domini Iesu Christi beneficio contingant! 24. Ab eodem omnes, qui Dominum nostrum, Iesum Christum, vero animo diligunt, in aeternum beentur! Amen! Valete!

---

EPISTO-

EPISTOLA  
PAVLI AD PHILIPPENSES.

CAP. I.

1. Paulus et Timotheus, Iesu Christi ministri,  
omnibus piis huius cultoribus, qui Philippis ver-  
santur, nec minus Episcopis et Diaconis 2. salu-  
tem ac fauorem Dei, patris nostri, et Domini Iesu  
Christi precamur!

3. 4. Quoties ego vestri reminiscor, (sit autem  
hoc in omnibus precibus meis assidue pro vobis  
omnibus, idque cum summa voluptate) toties Deo  
meo gratias ago, 5. quod vos a primo inde die,  
*quo nosse vos coepi*, ad hoc ipsum tempus in con-  
stanti religionis Christianae professione seruauit;  
6. idemque firmiter mihi persuasum habeo, eun-  
dem, qui opus tam excellens in vobis exorsus est,  
id ad finem vitae, quem Iesus Christus cuique de-  
stinauit, perducturum esse. 7. Quod ut de vobis  
sin-

singulis ita statuam, ideo recte fit, quod vos in  
ipisis vinculis meis, in quibus defendere et confir-  
mare doctrinam Christi cogor, impense amo, ac sin-  
gulos eiusdem bonorum aeternorum spei, qua ego  
vtror, participes esse existimo. 8. Ipsum enim  
Deum mihi testem aduoco, me tanto vestri ferri de-  
siderio, quantum in me Jesus Christus ostendit;  
9. idemque eum supplex veneror, vt amorem ve-  
strum indies augeat rerum diuinarum scientiā ac  
sensu, 10. 11. quo, quid optimum *in unaquaque*  
*re* sit, iudicare, et ad finem vitae integritatem et  
innocentiam, exserentem se virtutibus, Iesu Christo  
dignis, et gloriam laudesque diuinias illustrantibus,  
conseruare possitis.

12. Nolo autem vos celare, o carissimi, tantum  
abfuisse, vt, quae mihi acciderunt, religioni Chri-  
stianae quidquam obessent, vt ei contra prodescent,  
13. eo vsque, vt cùm in praetorianis castris, tūm  
alibi passim, innotesceret, me propter Christum  
esse in vinculis, 14. vt denique multi Christiano-  
rum, meā in his vinculis *innocentiā* freti, auden-  
tius adeo religionem nostram traderent. 15. Quod  
sane alii *inter hos inuidentiā* et rixandi studio fece-  
runt, alii tamen sincera mente Christi doctrinam  
propagant; 16. illi animo pessimo, vt mihi, in  
vinculis constituto, aegre faciant, 17. hi autem  
vero mei amore impulsi, quem religionis defensae  
caussā captiuum teneri sciunt. 18. Quid inde?  
*Sufficit*, Christum hominibus, quocunque tandem  
consilio id fiat, siue prauo, siue recto, innotescere;  
qua equidem re et nunc gaudeo, et semper gau-  
debo. 19. Eam enim, certo scio, in meam salu-  
tem cessuram, accedentibus praesertim vestris pro  
me precibus, et Iesu Christo per Spiritum suum  
ita

ita moderante. 20. Namque hoc certissime spero quidem, et exspecto, me nulla in re destitutum, sed, vt alias semper, ita et nunc, per me, seu vivum, seu necatum, Christi gloriam illustratum iri. 21. Si enim vixero, diutius doctrinam Christi tradam; sin moriar, ne hinc quidem damni quidquam sentiam. 22. Quod si vita longior maiorem docendi occasionem attulerit; sane, utrum horum optem, nescio, 23. quum dubius inter utrumque adhuc haeream. Admodum enim vitae *veluti nauiculam* soluere, et cum Christo esse cupio; (quod et mihi multo melius foret) 24. Vicissim longior vita propter vos magis requiri videtur. 25. Quin firmiter persuasus sum, me superstitem fore, et vobiscum omnibus mansurum, vt indies proficiatis, 26. ac de successu doctrinae Christianae laetemini, adeo, vt propter me, quem vobis saluum rursus stiterit Christus Iesus, pleno ore huius laudes cantare possitis.

27. Vos modo dignam religione Christi vitam agite, vt, siue ipse praesens vos videam, siue absim, vos concordi inuicem animo esse, idemque omnes certamen propter doctrinam Christi subire comperiam; 28. neque illa in re terrei vos ab aduersariis patiamini. Qui quidem, Deo ipso sic moderante, palam peribunt, vos contra seruabimini, 29. quibus praecipui contigit hoc, vt non modo nomen Christo daretis, sed et eius causam vexaremini, 30. in quo idem vobis accidit, quod mihi partim ante vidistis accidere, partim nunc fando auditis.

## CAP. II.

1. Si quid ergo apud vos valet admonitionis,  
 Christi nomine factae, si quid consolationis è meo  
 in vos amore, si quid communis donorum Spiritus  
 diuini possessionis, si quid denique in me amoris  
 et miserationis; 2. perfecto me, queso, gaudio im-  
 buite, vt concordiae studeatis, eodem, quo ante,  
 vos amore inuicem complectamini, consentienti  
 animo sitis, eademque omnes sentiat. 3. Neque  
 rixarum, aut vanae gloriolae studio quidquam fa-  
 cite, imo vnam esse, credite, modestiam, qua al-  
 tero alter verè fiat superior. 4. Nec tam suis quem-  
 que, quam aliorum commodis decet prospicere.  
 5. Omnino enim idem in vobis sensus esse debet,  
 quèm in Iesu Christo fuisse constat. 6. Qui quam-  
 vis ipse Deus erat, tamen divina hac maiestate non  
 cupide ad vanam gloriam abusus est, 7. sed sua  
 sponte humilem conditionem amplexus, serui  
 formà naturam humanam induit, 8. neque exterò  
 habitu ab aliis se hominibus distinxit, sed summa  
 cum modestia obedientem se Deo patri, ad vitae  
 usque finem, hoc est, crucis supplicium, praebuit.  
 9. Vnde etiam Deus ipsum in altum euexit, ac di-  
 gnitate ornauit, qua super alios omnes excelleret,  
 10. et ab omnibus, siue in caelo, siue in terra,  
 siue sub terra constitutis, adoraretur, 11. omnes  
 denique Iesum Christum, Dominum summum  
 agnoscerent, parique, qua Deum patrem, honore  
 venerarentur.

12. Vnde vos, o carissimi, vt semper mihi pa-  
 ruistis praesenti, ita nunc multo magis absenti,  
 queso, morem gerite in eo, vt summa cum dili-  
 gentia ac circumspectione, quae ad salutem vestram  
 aeter-

aeternam pertinent, prouideatis. 13. Deus enim ipse vobis assistit, nec modo firmam animi inductionem, sed et ipsas virtutes Christianas in vobis pro benignitate sua efficit. 14. Omnia itaque, vobis agenda, sine tumultu, nec dubitanter, agite, 15. vt simplices perfectique, atque vti inculpati Dei filii viuatis, in media saeculi peruersi colluuie; in quo, tanquam in caelo sidera, emineatis velim, 16. doctrinam Christi firmiter retinentes, vt aliquando in iudicio Christi nouissimo gloriari mihi liceat, in vobis itinera mea ac labores meos frustraneos minime fuisse. 17. Quanquam, si in fiduciae vestrae veluti sacrificio meum sanguinem libari necesse sit, id ipsum quoque et mihi et vobis laetandi caussam praebebit. 18. Itaque et ipsi, quaeaso, gaudete, et mihi congratulamini.

19. Spero autem, per Domini Iesu benignitatem, fore, vt Timotheum ad vos mittere quam primum possim, vt, quum per eum vestras res cognouero, et ipse animo reficiar. 20. Non enim alium praeter hunc habeo, qui ita plane mecum consentiat, vt ex animo vos et negotia vestra curae sibi habeat; 21. quum reliqui omnes, non tam Christi commoda, quam sua, quaerere videantur. 22. Huius contra probitatem et ipsi probe nostis, qua, vt patrem filius, ita me ille in traxenda Christi doctrina adiuuit. 23. Eum igitur, vbi, quid de me futurum sit, videro, statim ad vos, spero, me missurum. 24. Sed et meipsum, beneficii loco à Domino Christo, spero, ad vos venturum esse. 25. Necessarium autem putabam. Epaphroditum, amicum, collegam, et commilitonem adeo meum, vestrum ad me legatum, per quem pecuniam, a vobis collectam, mihi misistis, ad vos

remittere; 26. praeſertim, quum desiderio veſtri teneretur, ac, vos de morbo suo inaudisse, vehementer doloreret, 27. Verè enim ad mortem decubuerat: sed eius misertus est Dens; non autem eius solum, verum etiam mei, ne alium ex alio dolorem persentiscerem. 28. Quo festinantiuſ eum remisi, vt, eo rursus viso, et ipsi laetaremini, et ego tranquilliori animo esse possem. 29. Suscipite igitur eum, Christi nomine, magna cum laetitia, quemadmodum tales omnes in pretio habere vos decet. 30. Nam vnicē propter nauatam Christo operam, neglectā vitae curā, mortis periculum adiūt, eā solum de cauſā, vt, quod mihi ad me sustentandum pecuniae nondum miseratis, id quamprimum ad me transportaret.

## CAP. III.

1. Quod reliquum est, o carissimi, ego vos ad gaudium vere Christianum adhortor; de quo saepius vos admonere nec me taedet, nec vos admoniti poenitebit. 2. Cauete canes *istos*, c auete mālos et insidiosos doctores, c auete istam concisionem verius, quam circumcisionem! 3. Nec enim vere circumcisī sumus, qui mente Deum colimus, et Christo Iesu potius, quam vanis rebus, vt illi, gloriamur; 4. quanquam et his gloriari equidem possem. Nam si quis aliis *doctor* eo nomine placere sibi potest, mihi id multo magis liceret, 5. quum sim et ipse octauo *vitae meae* die circumcisus, genere Israēlitico prognatus, stirpe Beniaminitica ortus, Hebraeus ab Hebreis natus, sectā Pharisaeus, 6. religionis patriae studio coetus Christiani inseccator, legis denique Iudaicæ obseruantissimus. 7. Sed quidquid tandem eius rei erat, quo aliis  
prae-

praestabam, eo ipso deinde caeteris inferiorem propter Christum me iudicau. 8. Quin adhuc idem sentio, quoties ista omnia comparo cum excellētia agnitionis Iesu Christi, Domini mei, propter quem reliquias omnibus facile careo, eaque meras quisquiliās puto, dummodo illo uno eiusque beneficis potiar, 9. meque penitus in eum velut immergam, ita quidem, vt, nulla meae virtutis et obedientiae, legi praestitae, habita ratione, vnam illam iustitiam sequar, qua Deo propter fiduciam in Christo positam, probatus sum; 10. vt eum indies melius cognoscam, vt spem ex eius in vitam redditu mihi oblatam, confirinem, vt plane, sicut illē, aduersa feram, quin ne necem quidem, eius exemplo, subire detrectem, 11. adeoque, sicut et ipse, in vitam aliquando reuertar. 12. Nondum sane ista felicitate potitus sum, aut malis omnibus defunctus; sed enitor tamen, vt eam felicitatem velut arripiam, quemadmodum me Christus Iesus ipse aliquando arreptum *sibi adscivit.* 13. Iterum dico, o carissimi, nondum felicitatem illam percepī; 14. verum id ago, vt, rebus vanis omnibus a tergo relictis, ea contra, quae ante me sunt, in oculis habens, citato cursu ad metam contendam, *hoc est*, ad praemium illud caeleste consequendum, quod mihi Deus propter Iesum Christum benignissime destinatū.

15. Quicunque igitur sincero animo sumus, ita sentiamus; vos autem si forte in quibusdam aliter adhuc sentiatis, Deus meliora suo tempore edocebit. 16. Id modo, quod adhuc tenuimus, porro velim teneamus, vt eandem omnes vitae regnūlā se quāmur, concordique animo simus. 17. Me, quaeso, imitamini, o carissimi, et eorum exemplū sequimini,

mini, qui me imitantur. 18. *Quanquam enim*  
multi eheu! sunt, de quibus saepe apud vos iam  
conquestus sum, et nunc iterum cum lacrymis  
queror, qui Christi crucem auersantur, 19. qui  
ventrem Deum colunt, qui gloriam quaerunt in re-  
bus turpissimis, qui non nisi vanis rebus delectan-  
tur, qui vero etiam propterea in extremam perni-  
cem incurrent; 20. nostra tamen patria in caelis  
est, unde et seruatorem nostrum, Dominum, Ie-  
sum Christum, exspectamus; 21. ut vile hoc cor-  
pus, pro ea, quā pollet, omnia ad nutum suum  
dirigendi potentia, transmutet, suoque illi glorio-  
reddat quam simillimum.

#### CAP. IV.

1. Sic igitur, o carissimi ac desideratissimi, mea  
voluptas et gloria, sic, quaeo, *vti iam dixi*, diuino  
auxilio persistite. 2. Euodiam ac Syntychen, vt  
eodem animo sint, admonitas per Christum volo.  
3. Quibus, quum mihi in tradenda Christi doctrinā  
fidelissimam operam praetiterint, tu quoque, col-  
lega sincerissime, ad manum sis, non minus, quam  
Clemens et reliqui socii, quos ciuitati caelesti Deus  
iam adscripsit.

4. Omnino vos diuino semper gaudio efferri volo,  
diuino, inquam; 5, nec minus tamen modestiam ve-  
stram omnibus hominibus conspicuum esse. Deum  
quum praesto habeatis, 6. nihil est, quod solliciti  
de villa re sitis, sed omnia vota vestra precibus et  
supplicando, gratoque animo rectā ad Deum O. M.  
deferte; 7. cuius profecto auxilium benignissimum,  
quod omnem humanae mentis intelligentiam longis-  
sime superat, mentem vestram animumque pro-  
pter

pter Christum Iesum *a quouis malo* tuebitur. 8.  
 Caeterum o mei, quidquid verum, decens, iustum,  
 castum, ad conciliandos amicitia animos aptum, libe-  
 rale, quidquid denique virtutis et verae laudis effi-  
 ciens fuerit, id omne sequimini, 9. et, quae <sup>a</sup>  
 me didicistis, accepistis, audistis, ac *facientem*  
 vidistis, ea et ipsi vos facite, si quidem benignum  
 Dei fauorem adesse vobis volueritis.

10. Diuinâ autem voluptate perfusus sum,  
 quod *vestra* mei memoria tandem rursus efflornit;  
 quae sane non cessabat, nisi, quod occasionis  
 opportunitate destituebamini. 11. Nec propterea,  
 me, dico, eguisse; didici enim, quamcunque tan-  
 dem sortem experiar, eâ contentus viuere. 12.  
 Vtrumque, et egere et abundare, facile possum;  
 omni tempore et inter omnes, affuefeci me, vt ae-  
 quo animo satier et esuriam, abundem et egeam;  
 13. possum denique omnia per Christum, qui di-  
 vino me robore instruit. 14. Recte tamen fecistis,  
 quod miseriam meam subleuastis. 15. Sed ipsi  
 quoque scitis, o Philippenses, sub initia traditae  
 religionis nostrae, qunm ego Macedoniâ egredie-  
 bar, nullum alium coetum Christianum, praeter  
 vos, ad accepti et expensi rationes mihi quidquam  
 misisse; 16. quod mihi, Thessalonicae degenti,  
 semel atque iterum, memini, contingere. 17. Ne-  
 que ego hoc eo dixerim, quo noua a vobis mu-  
 nera appetam; sed vtilitatem, in vos ipsos inde  
 redundaturam, maxime specto. 18. Recte au-  
 tem accepi omnia, et nunc plus quam satis ha-  
 beo, postquam dona vestra Epaphroditus mihi at-  
 tulit, quae Deo quoniam thure et victimâ melius  
 placebunt. 19. Atque hic ipse visissim omnes ne-  
 cessitates vestras explebit e cœlestium dimitiarum

fon-

fontibus, propter Christum Iesum, idque magna  
sua cum gloria. 20. Huic Deo et patri nostro in  
omnia saecula honor et gloria tribuantur! 21. Salutate  
omnes vere Christianos, quemadmodum, qui me-  
cum sunt, vos salutant. 22. Salutant vos Christiani,  
qui Romae sunt, omnes, maxime de familia Cae-  
saris. 23. Vobis autem vniuersis perpetuo ad-  
sit fauor Domini nostri, Iesu Christi, { Amen!  
*Valete!*

---

EPISTO.

---

EPISTOLA  
PAVLI AD COLOSSENSES.

---

CAP. I.

1. Paulus, Iesu Christi interpres, diuinitus constitutus, et Timotheus, Christianus, 2. Christianis Colossensibus, nostrae professionis Christi sodalibus dilectissimis, fauorem Dei, patris nostri et Domini, Iesu Christi, felicitatemque omnis generis precamur.

3. Nos quidem gratias agimus Deo et patri Domini nostri Iesu Christi, quum semper pro vobis preces faciamus, 4. quod magnam vestram in religione Christi Iesu constantiam, et erga omnes Christianos amorem comperimus, 5. datum illum et innixum spei bonorum, in caelo vos manentium, quae per verissimam doctrinae Christi formulam proposita vobis fuerit. . . Quae quidem formula ut in omnibus orbis terrarum partibus, ita

et

et apud vos cognita, fructus ibi, plane ut apud vos, effert quam plurimos, ex quo Dei in homines favorem certissimum et cognouistis et comprobastis. 7. Quod ipsum didicistis ab Epaphrodito, collega nobis carissimo, qui vestro quoque commodo fidus Christi minister est; 8. qui idem nobis amorem vestrum, cælitus excitatum, enarravit.

9. Vnde nos quoque, ex quo hoc de vobis ad nos allatum est, nunquam desinimus preces pro vobis ad Deum fundere, eumque rogare, ut ad cognoscendam ipsius voluntatem idonea vos sapientia et intelligentia caelesti instruat, 10. quo dignam Domino vestro, eique placitaram vitam agatis, cum omnino virtutibus Christianis omnibus conspicui, ac vestram rerum diuinarum scientiam augentes, 11. tum vero etiam robore summo impleti, quo gloria Dei potentia vos ad sustinendas patienter et aequo animo, quin cum laetitia adeo calamitates fulciat. 12. Idem vero gratias aeterno huic patri agatis, qui nos ad consequendam piorum sortem felicissimam idoneos, impertienda doctrinae salutaris luce reddiderit, 13. ac mali daemonis potestati ereptos in filii sui viinci regnum transulerit, 14. cuius cruenta morte redemti, delitorum omnium veniam accepimus.

15. Hic enim est, in quo conspiendam se praebuit maiestas Dei, caeteroquin haud adspectabilis, primusque rerum omnino omnium. 16. Per hunc conditum est, quidquid caelo ac terra continetur, siue oculis cernatur, siue visum fugiat, omnes dignitatum variarum classes, cuncta denique non modo per ipsum, sed et ipsius causa effeta sunt. 17. Ipse autem fuit ante omnia, et omnia

ab

ab eo pendent. 18. Ipse denique caput est sui corporis, hoc est, coetus Christianorum, et princeps, primusque omnium in vitam redit, ut primum in omnibus locum obtineret. 19. Certum enim ac fixum Deo erat, summae in eo perfectionis exemplum sistere, 18. ac per eum sibi reconciliare omnia, sicque per sanguinem eius, in cruce fusum, toti terrarum orbi pacem restituere. 21. Vos quoque hic idem, alienos antea ab ipso, et mente, pranis studiis dedita, ei infestos, 22. iam eadem corporis sui morte reconcilianit, ut iam sancti, puri, atque insontes ab ipso haberi possitis, 23. dum certam ac firmam in eo fiduciam reponatis, nec auocari vos patiamini a spe, per eius doctrinam vobis facta, non vobis modo, sed omnibus etiam sub caelo gentibus traditam, cuius ego, Paulus, interpres constitutus sum.

24. Qui, quamvis vestra quoque causa nunc affligat; laeto tamen animo sum, et, quidquid corpori meo, Christi et eius corporis, hoc est, coetus Christiani caussa, tolerandum porro immineat, lubens tolerabo. 25. Cuius ego minister, ex munere, diuinitus mihi ad vos quoque iniuncto, factus sum, ut vtique doctrinae illius salutaris formulam proponerem; 26. eam illius partem dico, quae inde a mundi initio incognita, nunc sanctis eius ministris patefacta est. 27. quos dignos habuit Deus, quibus aperiret, gloriosam illam fauoris sui copiam, latentem in arcano illo de gentibus vniuersis consilio, quo Christi religio, illustrissimae spei fons, ad vos quoque penetrare debuit. 28. Hanc igitur eterque tradimus, vnumquemque et monentes et erudiantes ad omnem cognitionem, ut eum vere Christianum sistamus. 29. Quod inprimis ego

Pau-

*Paulus* studeo, ac per vim diuinam, potentissime  
per me sese exserentem, efficere contendo.

## CAP. II.

1. Nolim enim vos nescire, quanta mihi propter vos, ac Laodicenos, omninoque omnes eos subeunda sit contentio, qui me praesentem nondum cognouerint, 2. vt eorum animi excitentur et coniungantur partim ad amandum *Deum*, partim ad consequendam largissimam certissimamque scientiam, versantem in cognoscendâ arcanâ de Deo, tam patre, quam *filio*, Christo, doctrinâ, 3. quae omnes scientiae ac sapientiae thesauro*s* in se habet reconditos. 4. Hoc autem eo pertinet, ne quis speciosa vos oratione decipiat. 5. Etsi enim absum corpore, animo tamen vobis intersum, cum gaudio obseruans disciplinae vestrae ordinem, et fiducia*e*, in Christo repositae, firmitatem. 6. Qualem igitur Christi Iesu doctrinam accepistis, talem vitâ exprimit*e*, ita quidem, 7. vt eidem velut infixi ac superstructi, in fiducia illa confirmemini, et, sicut edocti estis, grato animo in ipsa proficiatis.

8. Idem vero cauete, ne quis vos per inanem sapientiae fraudem cognitione vestra spoli*e*, obtrudendo vobis doctrinam, quam non e religione Christi, sed ex humana traditione et ritibus Leuiticis hauserit. 9. Christus enim potius est, in quo maiestatis diuinae summa omnis, tanquam corpore expressa constat. 10. Ex cuius fonte vos quidem iam omnis generis bona largiter hausistis, quum is caput sit potestatis omnis et imperiorum omnium; 11. cuius professione et ipsi quodammodo, verè

ac

ac diuinitus circumsehti estis, quum sensuum cupi-  
ditates pranas exuistis, vera illa mentis circumse-  
ctione, a Christo instituta; 12. cum quo porro,  
sacri fontis initiatione *veluti* sepulti, iidemque cum  
eodem, per fiduciam, in eo repositam, in vitam  
rediistis; quam *fiduciam* in vobis effectit idem,  
qui illum e morte in vitam reuocauit. 13. Vobis  
denique idem, propter prauitatem naturae *quasi*  
mortuis, et praeputio etiam nunc indutis, tum,  
cum ipse reuinisceret, vitam nouam tribuit, omni-  
um delictorum veniam dedit, 14. deletumque  
quod vobis molestissimum erat, legis Leuiticae *va-*  
*lnt* chirographum, et e medio sublatum, cruci sua*e*  
affixit. 15. Quo facto, quidquid inimicorum  
potentum ei repugnabat, exarmatum, iudibrio omni-  
um exposuit, ac triumphum de iis egit.

16. Nemo igitur vos propter ullum cibi aut po-  
tius genus, aut propter dies festos, nouilunia, et  
sabbata calumniari ausit, 17. quum sint hae omnes  
nihil nisi rerum futurarum umbrae, Christus au-  
tem corporis instar habeat. 18. Neque vos quis-  
quam circumscribat affectata quadam modestia, et  
*quasi* angelorum cultu, rerum nunquam visarum  
scientiam affectando curiosius, ac se propter haec  
peruersa mente temere inflando, 19. qui tamen  
ipsum illud caput non teneat, ex quo totum *coe-*  
*tus* Christiani corpus, singulis membris et vincu-  
lis pulchre compositum et coagmentatum, additis  
diuinitus incrementis, attollitur. 20. Qui igitur  
cum Christo ritus illos veteres abieceritis, cur ad-  
huc, tanquam alieni etiam nunc a Christo, istis  
praeceptis operam datis? 21. „Hoc ne contrectaris,  
hoc ne comederas, illud ne tetigeris;“ 22. hae  
leges omnes, si quis iis adhaereat, merasque ita hu-  
ma-

manas opiniones et decreta sequatur, vehementer  
nocent, 25. ac speciem quidem habent sapientiae,  
per affectatum illum cultum, modestiam, et incu-  
riam corporis, ceterum, qua prauis cupiditatibus  
blandiuntur, nullius omnino pretii censendae sunt.

## CAP. III.

1. Quum igitur simul cum Christo ad *veram*  
vitam redieritis, caelestia iam debetis cogitare, vbi  
ille pari cum patre maiestate fruatur; 2. caelestia,  
inquam, posthabitatis terrenis meditari. 3. Terrena  
enim, tanquam mortui reliquistis, ac *vera illa ve-*  
*stra* vita apud Christum recondita vobis manet.  
4. Quum autem Christus, vitae illius vestrae au-  
ctor, gloriam suam aliquando omnibus patefecerit;  
rum vestram quoque, scitote, patefactum iri. 5. Re-  
primite itaque prauas rerum terrestrium cupiditates,  
stupra, impuritatem, lasciviam, malam libidinem,  
et auaritiam, quae mera numinis falsi veneratio  
est. 6. Horum quippe flagitorum causâ Deus pro-  
fauos homines maximis poenis solet affligere. 7.  
Quibus flagitiis sane vos quoque indulsistis, quum  
inter illos adhuc versabamini; 8. at nunc quaeso,  
abstinete istis omnibus, iracundia, excandescencia,  
malitia, maledicentia, verborum denique obsceno-  
tate. 9. Nec mendacis vos fallite inuicem, quippe  
qui veterum illum morem, cum vita et factis, ei  
congruis, iam exueritis, 10. alio iam induito,  
qui nouam formam per cognitionem Dei acceperit,  
ut huius sae auctoris indies fiat similior; 11. vbi  
nihil profecto refert, Graecusne sis, an Iudeus,  
circumsectus, an non circumsectus, barbarus an  
Scytha, seruus, an liber? sed ad vnum omnes, ad  
Christum, referuntur.

12.

12. Induite igitur, ut gratos, caros et Deo sanctos *decet*, virtutes eo dignas, misericordiam, liberalitatem, modestiam, mansuetudinem, patientiam, 13. ita, ut vos aequo inuicem animo feratis, offensasque mutuo condonetis, si quis forte ab altero Iesus sit. Nam quemadmodum vestra vobis dilecta Christus condonauit, ita *aliis* vos *sua debetis ignoscere*. 14. Praeter haec autem omnia amori studete, quod est vinculum omnium firmissimum. 15. Concordia porro, Deo placens, animos vestros regat, cuius colenda caussa in unum corpus coiuictis, *Deoque* vos ideo gratos praebete. 16. Doctrina Christi inter vos perpetuo vigeat, ut sapientiores per eam quotidie reddamini. Nec minus psalmis, hymnis, et odia *sacris* vos instruite in vicem, et ad pietatem excitate, ita, ut grata Domino carmina non tam ore, quam intimo animi sensu, canatis. 17. Quidquid denique dicitis aut facitis, id omne consecratum sit honori Domini Iesu, cuius ope freti, Deo ac patri gratos vos *beatiss.*

18. Vos *nominatim* vxores maritis subiectae estote, quod propter Christum iis debetis. 19. Vicissim vos, o mariti, vxores amate, neque eas aspere tractate. 20. Vos, o liberi, parentibus per omnia morem gerite; hoc enim Deo vehementer placet. 21. Vos, patres familias, liberos vestros *sine causa*, ne, queso, irritate, ne animum desponeant. 22. Vos, o serui, per omnia dominis in hac vita parete, non factio obsequio, ut hominum modo fauorem aucupemini, sed simplici animo, quod Dei reverentiae tribuat. 23. Quidquid denique facitis, vero animo facite, tanquam ipsi Deo id praestetis, non hominibus; 24. probe qui p.

quippe gnari, praemia caelestis felicitatis abs Dominō vos reportaturos, quum Christus Dominus vere sit, cui pareatis. 25. Quisquis autem alterum laeserit, mercedem iniuriae auferet; nec personae aut loci ratio vila habebitur.

#### CAP. IV.

1. Vos denique, domini, iustitiam et aequitatem seruis praestate, minime ignari, vos et ipsos in caelis Dominum habere.

2. Omnino precibus cum gratiarum actione faciendis, constanter inuigilate, 3. simul pro nobis Deum O. M. orantes, vt opportunitates docendi nobis suppeditet, quibus arcanam illam Christi doctrinam (quam professus in vinculis ago cum maxime) 4. ita, vti decet, tradere aliis possim. 5. Cum iis, qui Christiani non sunt, sapienter conversamini, et occasiones quaslibet, eos ad Christum alliciendi, cupide captate. 6. Sermones denique vestri semper comes ac sale conditi sint, vt, quomodo vnicuique respondendum sit, probe teatatis:

7. Caeterum de rebus meis omnibus certiores vos faciet Tychicus, mihi dilectissimus, idemque fidelis minister, et in tradenda Christi doctrina adiutor; 8. quem ad vos misi ea ipsa de causa, vt et res vestras cognosceret, et animos confirmaret; 9. cum eo autem Onesimum, Christianum, hominem fidelem ac dilectum, etiam vestrarem adeo, qui nostra omnia vobis enarrabunt. 10. Salutant vos Aristarchus, vinculorum meorum socius, et Marcus, Barnabae consobrinus, de quo mandata acce-

accepistis; quem quidem, quum ad vos venerit,  
benigne, quaeso, excipiatis; 11. et Iesus, cognomine  
Iustus, ex Iudeis Christiani omnes, qui soli ex  
ista natione mihi in propaganda Christi doctrina  
adstiterunt, magnoque fuere solatio. 12. Salutat  
vos vero etiam Epaphroditus, vestras, minister  
Christi, qui ardentissime vestrâ caussâ Deum pre-  
catur, ut plane ad voluntatem Dei compositi sitis;  
13. eumque non in vos tantum, sed et in Laodice-  
nos atque Hierapolitas pari studio ferri, vere equi-  
dem affirmare possum. 14. Porro Lucius, medicus,  
mihi amicissimus, ac Demetrius.

15. Vos autem, quaeso, Christianos Laodicenos,  
Nymphiodorum maxime, et, qui apud eum con-  
gregatur, coetum Christianum salutate, 16. et  
quum apud vos lecta fuerit haec epistola, ut in Lao-  
dicenorum quoque concione praelegatur, curate;  
nec minus Laodiceâ ad me missam vos ipsi legite.  
17. Archippum denique meo nomine iubete, quam  
docendi prouinciam a Christo acceperit, ei ut rite  
satisficiat, curare. 18. Salutationem ego Paulus  
meâ manu subscrispsi. Vos vero vinculorum meo-  
rum, quaeso, ne obliviscamini. Deus O. M. et  
Iesus Christus vobis faveat! Amen! Valete!

Scripta Romae ad Colossenses, perlata ministerio  
Tychici et Onesimi.

N n

EPISTO-

EPISTOLA  
PAVLI AD THESSALONICENSES  
PRIOR.

---

CAP. I.

1. Paulus et Siluanus et Timotheus Christiano Thessalonicen-  
sium coetui Deum patrem ac Dominum  
Iesum Christum rite colenti, ab utroque hoc fau-  
orem et felicitatem summam precamur!

2. 3. Nos quidem assiduas vestrâ omnium caussa  
gratias Deo agimus, quoties, in precibus nostris  
mentionem vestri faciendo, eidem patri O. M.  
operosam vestram fiduciam, sedulam caritatem,  
certamq[ue] et inconcussam spem, in Domino no-  
stro Iesu Christo repositam, commendamus; 4.  
praesertim quum vestrum, o carissimi sodales, ad  
Christi religionem accessum reminiscimur. 5. Ne-  
que enim doctrina salutaris apud vos nudis tantum  
verbis constituit, sed et miraculis, Spiritus diuini  
dotibus et insigni animi fiducia a me vobis tradita  
est. Et quemadmodum scitis, quales nos, salutis  
vestrae caussa, erga vos fuerimus, 6. ita vos,  
vicissim scimus, nostri, quin Christi adeo ipsis,  
imitatores fuisse, qui illius doctrinam, etsi cum  
in-

incommodis pluribus coniunctam, tamen cum laetitia quadam, diuinitus excitata, suscepitis, eaque tanta,  
7. vt exemplo essetis Christianis per Macedoniam et Achaiam omnibus. 8. Quippe non tantum doctrina Christi, a vobis profecta, has duas prouincias pervasit, verum etiam fiduciae vestrae in Deo repositae, fama quaquauersum diuulgata est, vt verbis, ex nostra quidem parte, opus esse minime videatur.  
9. Nam ipsi illi Graeci inter se narrant, partim, qualis noster apud vos aduentus fuerit, partim, quomodo vos a simulacrorum veneratione ad veri et immortalis Dei cultum conuersi, 10. Iesum, eius filium, quem ipse in vitam reuocauit, liberatorem nostrum a poenis aeternis futurum, de caelo exspectetis.

CAP. II.

1. Vos vero etiam ipsi satis nostis, o carissimi, initium docendi apud vos minime nos quidem cum leuitate aliqua fecisse, 2. sed etsi antea, vt inter vos probe constat, Philippis multum malis atque contumelias preferendum nobis fuerit, tamen Dei nostri praesidio confisos, vel inter summas concertationes, doctrinam salutarem vobis tradidisse. 3. Neque enim aut vano errore inducti, aut turpi lucro allecti, aut fraudis facienda studio abrepti, vos ad capessendam felicitatem aeternam innitauiimus; 4. sed, quum dignos nos Deus iudicabit, quibus doctrinam salutarem concrederet, ita docemus, vt non hominibus, sed ei ipsi, qui intimos animi nostri motus peruidet, placere studeamus. 5. Neque enim unquam, vt scitis, assentatores egimus, neque, ita nos Deus adiunet! auaritiae munus nostrum praeteximus; 6. neque humanam, siue apud vos siue apud alios, gloriolam captauimus, quan-

N n° 2

quam

quam legationis Christi obtentu molesti *vobis* esse potuissemus; 7. sed mites nos inter vos exhibuimus atque *vti* mater *eademque* nutrix infantes suos fonet; 8. ita vestri studio, non modo doctrinam salutarem, sed nosmet ipsos adeo totos in vos transfundere eramus parati, tantus vestri nos amor coperat! 9. Meministis enim, ni fallor, o carissimi, laboris nostri ac molestiarum, nosque ita *vobis* salutarem Dei doctrinam tradidisse, *vt* noctu et interdiu victui quaerendo operam daremus, dumne cuiquam vestrum molesti esse cogeremur. 10. Licebitque non vos minus, quam Deum, testem ad vocare, quam sanctos, aequos, et inculpatos nos *vobis* Christianis praebuerimus, 11. quam amanter, *vt* probe scitis, vos, tanquam patres suos liberos, adhortati, consolati, 12. atque obtestati adeo simus, *vt* vitam ageretis dignam Deo, qui vos ad regni sui gloriosi bona fruenda adnoscasset.

13. Vnde etiam assiduas Deo O. M. gratias agimus, quod vos, auribus perceptam a nobis eius doctrinam non *vt* humanas voces, sed *vt*, (quae erant verissime,) oracula ipsius Dei admisistis, qui ne nunc quidem, ex quo religionem Christi profitemini, vim suam exserere in animis vestris desiit. 14. Vos enim, o carissimi, sacratorum per Iudeam Deo et Christo coetuum exempla imitati estis, quum eadem et ipsi a popularibus vestris *incommoda* pertuleritis, quae illi a Iudeis, 15. tam peruersis illis scilicet, *vt* Dominum Iesum et vates, populares suos, interfecerint, nos vexarint, Deo placere minime studeant, omnibus hominibus infesti sint, 16. nos denique prohibeant, quo minus aliis gentibus, salutarem Christi doctrinam tradamus; quo ipso scelerum suorum mensuram implent, horumque propediem extremas poenas subibunt.

17. Nos

17. Nos vero, o carissimi, aliquandiu a vobis  
corpo, non animo, diuulsi, insigni admodum  
videndi vos desiderio ferebamur, 18. eramusque  
in eo, vt ad vos proficisceremur, (ego certe Pau-  
lus) idque saepius decreueramus, nisi malus nos  
daemon impediisset. 19. Quis enim nobis tantam  
sperandi, tantam gaudendi, tantam denique glo-  
riandi materiam suppeditat? Nonne inter alios vos  
quoque, quibus, aliquando coram Domino nostro,  
Iesu Christo, ad iudicium ultimum affuturo, lice-  
bit gloriari? 20. Sane vos mihi summas gloriandi  
ac laetandi caussas praebetis.

### C A P. III.

1. Itaque quum desiderium vestri diutius ferre  
non possemus, soli Athenis remanere ausi, 2. Timo-  
theum amicissimum nobis, ministrum Dei, et in  
propaganda Christi doctrina adiutorem nostrum,  
missimus, qui vos confirmaret, ac de variis doctri-  
nae capitibus moneret, 3. ne quis forte his malis  
nostris perturbaretur, quum ipsi, ea necessario  
subeunda nobis esse, nossetis. 4. Nam etiam,  
quum apud vos adhuc essemus, vexationes nobis  
impendere, praediximus, et euentus, vt scitis,  
huic praedictioni satis constitit. 5. Vnde, quum  
vestri desiderium ferre diutius non possemus, (*vti  
iam dictum est*) eum misimus ad explorandam fidu-  
ciam vestram, videndumque, an forte, tentandis  
vobis, malue daemon labores nostros irritos reddi-  
disset? 6. Sed postquam Timotheus, isthinc re-  
dux, nobis nunciauit, quanta esset vestra in Deum  
fiducia et amor, quam iucunda apud vos nostri me-  
moria, quam constans vestrum videndi mei desi-  
derium, vt etiam nostrum, vos videndi, aequaret;

7. om-

7. omnibus meis vexationibus ac miseriis, o carissimi, solatum ista fiducia vestra longe maximum attulit. 8. Nam nunc demum, quum vos firmiter Christo Domino nisi animaduertimus, vere viuere nobis videmur. 9. Quam enim, queso, gratiam referre satis magnam Deo possumus, qui tantae nobis laetitiae caussa extiterit, quantam propter vos, ipso vidente, concepimus? 10. Idem ergo assiduis eum precibus sine intermissione fatigamus, ut saluos rursus vos videre, nobis permittat, et, quidquid fortasse vobis ad illam fiduciam deest, supplere nobis licet. 11. Ipse autem Deus, parens noster, ac Dominus noster, Iesus Christus, nostrum ad vos iter fortunat! 12. Vobis contra idem non minorem erga vos innicem et alios omnes caritatem inspiriet, quam est ea, qua nos erga vos abundamus, 13. ut animos vestros in sanctitate confirmet, et sinceros erga Deum, patrem nostrum, conservet, donec Dominus noster, Iesus Christus, cum omnibus sanctis suis ad iudicium habendum advenerit.

## CAP. IV.

1. Caeterum rogamus vos et obtestamur, o carissimi, per Dominum Iesum, ut, quoniam a nobis didicistis, quomodo viuendum esset, ut Deo placaretis, ei rei iam operam detis eo diligenterius, 2. quum vobis constet, quam sancta et inviolabilia sint praecepta illa, quae Domini Iesu nomine vobis dedimus. 3. Serio enim Deus morum sanctitatem a vobis postulat, hoc est, ut a stupris abstinento 4. quilibet corpus suum integrum et sanctum seruet, 5. nec turpisimis libidinibus, earum more gentium, quae Deum verum nondum agnoscunt, indulget; 6. multo

6. multo minus vitae socios adulterii fraudibus in coniugali negotio circumueniat, quum, vt vobis praediximus, et obtestando confirmauimus, Deus haec omnia vindicaturum se, minatus sit. 7. Neque enim hac lege ab eo ad Christianam religionem adducti sumus, vt impuritatem, sed vt sanctitatem sectaremur. 8. Quae qui pro nihilo habuerit, is non hominum aliquem, sed Deum ipsum, qui sanctum suum Spiritum nobis impertiri dignatus est, contemserit.

9. De caritate autem, Christianis exhibenda, non opus est ad vos scribere, quum vobis Deus ipse amorem mutuum et commendariet et inspirariet, 10. vosque ipsi vestra sponte hunc omnibus, qui per totam Macedoniam Christi nomen profitentur, iam exhibeatis. Illud modo vos hortamur, o carissimi, vt indies hoc faciatis studiosius. 11. Pariter vos quietam decet vitam transigere, sua quemque agere, suis manibus victimum quaerere, quod iam admoniti a nobis estis; 12. vt vitae vestrae gravitas etiam his, qui a Christo alieni sunt, in oculos incurat, nulloque hinc monitore opus habeatis.

13. Ad illos e vobis quod attinet, qui vita functi iam sunt, ignorare vos nolim, minime opus esse, vt eos lugeatis sicut hi, qui meliorem insperatum vitam sperare non possunt. 14. Quemadmodum enim credimus, Iesum non modo mortuum esse, sed et in vitam rediisse; ita par est, vt credamus, Deum illos quoque, qui diuinam Iesu vi freti, diem obierint, pariter, ut hunc, in gloriam adducturum. 15. Illud enim vobis, Domini nomine, diserte praedicimus, quicunque nostrum eius aduentum viuendo attigerint, nihilo meliori condi-

conditione fore, quam, qui vitâ sint defuncti.  
16. Ipse enim Dominus, sequente magna caelestium  
cateruâ, ingenti horum ducis voce emissâ, et inu-  
sito naturae omnis motu facio, de caelo descen-  
det, vt primo eos, qui vera animi cum fiduciâ ob-  
vierint, in vitam reuocet, 17. deinde vero et eos,  
qui vini superfuerint, simul cum illis, sublimes  
nubibus ad se in aërem attollat, vbi deinde aeternâ  
eius societate communiter omnes fruamur. 18. Quæ  
tantarum rerum spes ad vos mutuo consolando pro-  
fecto sufficiet,

### CAP. V.

1. Caeterum de temporis, quod interea elabe-  
tur, partibus, sine maioribus, sive minoribus, vos,  
non opus est, accuratius edoceri. 2. Satis enim  
est, quod, diem illum Domini aequa subito, ac  
furem nocturnum, affuturum esse, liquido vobis  
constat. 3. Nam eo ipso tempore, quo tutissimos  
se esse plerique putaverint, repentinum ipsis exi-  
tium, tanquam granidae partus, imminebit, vt ef-  
fugere omnino non possint. 4. Vos autem, o ca-  
rissimi, non in tenebris vitierum ac scelerum ver-  
samini, vt vos dies ille, furis in morem opprimat.  
5. Omnes potius lucem ac diem, non noctem ac  
tenebras amamus. 6. Ne itaque, vt reliqui *impii*,  
*vitiorum veluti veterno nos sinamus opprimi*, sed  
vigilantiae potius ac sobrietati studeamus. 7. Qui  
enim somno et compotationibus indulgent, vtrum-  
que noctu vt plurimum faciunt. 8. Nos contra,  
lucis amantes, fiducia et amore, *veluti lorica*,  
induti, salutis autem aeternae spe, *veluti galea te-*  
*cti*, vigilemus; 9. *praesertim*, quum Deus O.  
M. nos non poenis, sed aeternae felicitati, propter

Do-

Dominum nostrum Iesum Christum, destinárit,  
10. qui ideo pro nobis mortem occubauit, vt, siue  
viui, siue mortui deprehendamur, simul cum ipso  
beatam vitam agamus.

11. Igitur, quod iam vestra sponte facitis, vos  
adhortamini inuicem, et meliores alias alium red-  
dite. 12. Neque vero minus vos rogamus, o ca-  
rissimi, vt, qui inter vos docent, qui sancte vobis  
præsunt, et vos ad optima quaeque incitant, eos  
magni aestimetis, 13. ac summa caritate, propter  
ipsos illos labores, prosequamini, neque tam  
mutuam concordiam propterea tollatis. 14. Sic  
quoque vos hortamur, vt dissolute viventes admo-  
neatis, timidos erigatis, infirmos scientia confir-  
metis, omnibusque omnino lenitatem vestram ap-  
probetis. 15. Prouidete quoque, ne quis vestrum  
iniurias iniuriis rependat, imo semper beneficentiam,  
cum erga vos inuicem, tum erga alios omnes de-  
monstrate. 16. Cacterum haec vobis assidue sint  
proposita: Perpetuo laetum animum habere,  
17. sine intermissione preces fundere; 18. omni  
tempore gratias Deo O. M. agere, (hoc enim a vo-  
bis ille fieri se velle, per Christum Iesum significa-  
uit) 19. Spiritus diuini in animis vestris motus  
non impedire, 20. de viris ab ipso agitatis nun-  
quam sinistre iudicare, 21. omnia potius, quae hi  
dicunt, explorare, et, quae recta cognoueritis,  
retinere, 22. ab omni denique vitiorum genere  
abstinere. 23. Ipse autem Deus benignissimus vos  
plane sanctos reddat, ita, vt et mentis, et ani-  
mi, et corporis vestri vires omnes integrae usque  
ad aduentum Domini nostri Iesu Christi conser-  
ventur. 24. Quod, qui salutem vobis obtulit,  
quum idem sit veracissimus, profecto etiam fa-  
cturus

cturus est, 25. dum ne vos, o carissimi, pro nobis eum deprecari desinatis. 26. Salutate Christianos omnes, et caste exosculamini. 27. Per Christum vos obtestor, vt omnibus sanctis Christianis legendam hanc epistolam tradatis. 28. Favor Domini nostri, Iesu Christi vos complectatur! Amen! *Valete!*

Prior haec ad Thessalonicenses epistola, Athenis  
scripta est.

EPI-

EPISTOLA  
PAVLI AD THESSALONICENSES  
POSTERIOR.

CAP I.

1. Paulus et Silvanus et Timotheus Christiano Thessalonicensium coetui, Deum, patrem nostrum ac Dominum Iesum Christum rite colenti, 2. ab hoc utroque fauorem ac felicitatem summam precamur!

3. Gratiarum actionem Deo, prouti par est, assiduam debemus propter vos, o carissimi, quorum et fiducia firmamentum, et amor omnium mutuus augmentum indies capit; 4. *idque tantum*, ut nos ipsi apud reliquos coetus, Deo sacratos, de vobis, hoc est, de patientia vestra ac fiducia, per omnes vexationes ac res adversas, quibus infestamini, demonstrata gloriemur. 5. Vnde licet iudicare, quanta aduersarios vestros poenae maneant tum, quum Deus vos aeterni sui regni, cuius caussa nunc tot mala sustinetis, participes facere dignabitur. 6. Ni si forte indignum Deo putatis, ut, qui vos affligunt, eos vicissim male tractet, 7. vobis contra, qui adeo vexamini, quietem nobiscum largiatur, quando

do Dominus Iesus, angelorum suorum exercitu stipatus, aderit, 8. vt flamas vindices in eos emittat, qui nec Deum agnoscunt, nec salutarem Domini nostri, Iesu Christi, doctrinam amplectuntur. 9. Qui profecto ab ipso et gloria eius potentia in perpetuum segregati, tristissimo interitu suo poenas illi pendent, 10. quum extremo illo die venerit, vt in suis gloria eius resplendeat, ipsumque hi ad unum omnes admirentur; quo in numero vos quoque fore qui doctrinae illius, vobis per nos traditae, tam promte fidem habueritis, certissimum est. 11. Ergo etiam assiduas pro vobis preces facimus, vt vos indies digniores beneficiis, ab se destinatis, Deus reddat, diuinaque vi sua, quidquid virtutum et recte factorum ipsi placet, in vobis large efficiat; 12. quo cum diuina Domini nostri, Iesu Christi, maiestas in vobis fiat conspicua, tum vos vicissim, immenso Dei ac domini, Iesu Christi beneficio, nemo non agnoscat longe felicissimos.

## CAP. II.

1. Obtestamus autem vos, o carissimi, per hunc ipsum Domini nostri, Iesu Christi, aduentum, speratamque a vobis cum illo coniunctionem, 2. vt ne demoueri vos subito ab hac mente sinatis, neque vel ab alio doctore villo, vel sermone, vel denique epistolâ, vobis nostro nomine obtrusis, perturbari, diem illum Christi iamiam instare, existimetis. 3. Nemo, inquam, hanc vobis falsam opinionem villo modo obtrudat; non potest enim ille adesse, nisi prius ingens quaedam religionis corruptio, et homo quidam scelestissimus et perditissimus apparuerit, 4. qui Deo aduersetur, et supra quidquid diuinum et sacrum est, sese efferat, adeo, vt etiam in templo Dei, tanquam Deus ipse sit, considens,

Deum

Deum se omnibus conspiciendum, ostentet. 5. Nonne recordamini, me, quum adhuc vobiscum versabar, vos his de rebus iam monuisse? 6. Nunc certe quid eum retineat, donec suo tempore fiat manifestior, nōstis. 7. Quanquam enim iam clanculum istud malum serpit; tamen illud ei impedimentum officit, donec et ipsum tollatur; 8. ac tum demum prorumpet iste nefarius, quem Dominus omnipotenti nutu conficit, illustri autem aduentu plane euertet, 9. quantumuis, mali daemonis ope, quolibet miraculorum, portentorum, falsorum prodigiorum, 10. ac pessimarum fraudum genere, praesentiam suam inter homines perditos conspicuam reddere conetur. Qui quoniam veritatem, ad salutem ipsos perducturam, noluerunt admirtere, 11. propterea Deus illos in errores delabi sinet ita speciosos, ut mēris mendacis fidem habeant, 12. ac proinde omnes, quibus, spretā veritate, iniquitas placnerit, poenis plectantur.

13. Nos autem Deo O. M. assidue gratias ve- strā caussa agere debemus, o Domino dilectissimi, quod vos non modo ab aeterno inde ad sanctitatem, diuinitus in vobis efficiendam, veramque religionem, salutis consequendae viam, destinauit, 14. verum etiam per doctrinam nostram adduxit, vt, illam consecuti, Domini nostri, Iesu Christi, maiestatem illustraretis. 15. Firmiter itaque in eā permanete, o carissimi, et quidquid praceptorum, vel e sermone nostro, vel ex epistola, hausistis, constanter retinete. 16. Ipse autem Dominus noster, Iesus Christus, ac Deus pater, qui nos tam impense amat solatiumque firmissimum, cum optima bonorum gratiutorum spe nobis induleit, 17. animos vestros his rebus incensos, ad quaevis recte dicta et facta confirmet.

CAP.

## CAP. III.

1. Caeterum preces pro nobis facite, o carissimi,  
vt doctrina Domini salutaris, latius propagata indies,  
quemadmodum apud vos, ita et *ubique* illustretur,  
2. nosque ab ineptorum hominum malitia libere-  
murus; neque enim in omnes fides atque integritas  
cadunt. 3. Tanto magis cadunt in Deum, qui vos  
*in bono* non minus firmabit, quam a mali daemo-  
nis fraudibus custodiet. 4. Sed et vos, speramus,  
eodem iuuante, quidquid vobis praecipimus, et fa-  
cere cum maxime, et facturos esse. 5. *Quem in*  
*finem*, vt Dominus animos vestros ad amorem sui,  
et ad patientiam, Christi caussâ demonstrandam,  
componat, *vehementer optamus.*

6. Volumus autem, o carissimi, idque ex au-  
ctoritate Domini nostri, Iesu Christi, vos canere  
ab societate eorum omnium, qui dissolute, neque  
ita, vivant, vt vitam instituere a nobis iussi sunt.  
7. Ipsi enim nôstis, quomodo nostrum exemplum  
imitandum sit, qui minime apud vos dissolute vi-  
xerimus, 8. neque, gratis a quoquam sustentari  
nos, passi simus, sed summâ potius cum molestia,  
dies ac noctes laborando transegerimus, ne cuiquam  
vestrûm graues esse cogeremur; 9. non, quod no-  
bis hoc non liceret, sed, vt exemplum nos ipsos ad  
imitandum vobis proponeremus. 10. Vnde etiam,  
quum apud vos essemus, diserte his, qui laborare  
nollent, cibo interdiximus. 11. Audiimus enim,  
esse apud vos, qui licentius paulo viuant, nihil  
agentes omnino, ardeliones verissimos. 12. Quos  
sane adhortamur, ac per Dominum nostrum, Ie-  
sum Christum, obtestamur, vt, tranquille negotia  
sua obeundo, ipsi victum sibi mereantur. 13. Vos  
vero,

vero, o carissimi, ne, queso, vnquam recte  
agere desistite. 14. Quod si quis huic meo prae-  
cepto, eique litteris consignato, non paruerit, eum  
mihi indicate, interim autem eins consuetudine  
abstinete, vt cogatur erubescere. 15. Neque tamen  
eum vt inimicum tractate, sed, vt eorundem sa-  
crorum participem, studete corriger. 16. Ipse  
vero Dominus, pacis *auctor et fons*, perpetuam  
vobis felicitatem per omnia largiatur, et adsit vo-  
bis omnibus! 17. Salutationem ego, Paulus, mea  
manu huic epistole subscripsi, eo quidem signo,  
quo omnibus soleo subscribere. 18. Fauor Domini  
nostrri, Iesu Christi, vos omnes complectatur!  
Amen! *Valete!*

Ad Thessalonicenses posterior, scripta est Athenis.

EPISTO.

EPISTOLA  
PAVLI AD TIMOTHEUM  
PRIOR.

---

CAP. I.

1. Paulus, Iesu Christi legatus, Dei, seruatoris nostri, et huius ipsius Domini, Iesu Christi, quo spes nostra nititur, auctoritate constitutus, 2. Timotheo, filio suo verissimo, in doctrina religionis mecum consentienti, fauorem, benevolentiam, ac salutem abs Deo, patre, et Christo Iesu, Domino, nostro, precor!

3. Ego, quum in Macedoniam proficiscebar, iubebam te, vt sis, manere Ephesi, et admonere quosdam, ne alienam doctrinam inueherent, 4. nec fabulas istas inextricabiles sequerentur, que rixas potius gignerent, quam incrementum scientiae sanctioris Deo placitum, afferrent. 5. Cuins quidem admonitionis summa est haec, vt amor integerimus, ex animi probitate, recti conscientia, et fide incorrupta ortus, inter ipsos vigeat. 6. Quae tria quum quidam neglexissent, ad miras deflexerunt ineptias; 7. et, quum legis divinae doctores haberi cuperent, ne ipsi quidem, quid sibi vellent,  
aut

aut quid tantà cum fiduciâ affirmarent, intellexerunt.

8. Iam scimus quidem, legem in se esse optimam, si quis èa *in docendo recte vtatur*, 9. ac probe meminerit, non *tam iustis eam datam esse*, quam rudibus et immorigeris, impiis et sceleratis, irreligiosis et profanis, patricidis et matricidis, homicidis, 10. scortatoribus, cinaedis, plagiariis, mendacibus, periuris, et quidquid porro *flagitorum sanioribus illis praexceptis aduersatur*, 11. quae excellens Dei beatissimi doctrina, mihi concedita, proponit. 12. Atque ego *gratiam Christo Iesu, Dominu nostro, auxiliatori meo, habeo, quod, admovendo me ad munus doctoris, fidum ab ipso me repertum, ostendit*. 13. Nam *etsi antea maledicu*s* in ipsum, et insectator Christianorum, contemtorque religionis ipsorum fueram; veniam tamen horum omnium, quam inscius et Iudaicae adhuc superstitioni addictus ea commisissem, impetraui*. 14. Quin multo maior mèa in Christum Iesum fiduciâ huius èrga me misericordia existimanda est. 15. O quam verum igitur, et summa admiratione dignum est hoc, quod, Christum Iesum, constat, natura humana indutum esse, ut hominum vel scelestissimum quemque seruaret; in quibus, praecipuum me locum tenere, equidem haud inficior, 16. Idem tamen èa potissimum de causa veniam videor consecutus, ut in me unum Iesu omnes misericordiae *veluti dinitias præ caeteris effunderet*, essemque adeo exemplo his, qui per fiduciam in ipso repositam, felicitatis aeternae spem consequi in posterum vellent. 17. Deus autem O. M. rex aeternus, infinitus, nemini adspectabilis, idemque solus sapiens, aeternis propterea laudibus honoretur ac celebretur. Amen!

O •

18. Quod

18. Quod igitur, *vt supra dixi*, discedens tibi mandaueram, nunc iterum mando, Timothee, fili dilectissime, *vt, praesertim* quum vates, de te locuti, sic fore pronunciārint, ab his admonitus, bonum te *veluti* militem praestes, 19. retinendā firmiter non modo doctrinā, sed et recti conscientiā, quum nonnulli, qui hanc amiserant, illius quoque iacturam fecerint; 20. in his Hymenaeus et Alexander, quos mali daemonis potestati eisdem tradidi, *vt conuiclis* imposteriorum abstinere discant.

## CAP. II.

1. Volo igitur ante omnia *vt in publicis apud vos conuentibus* fiant preces, supplicationes, deprecationes, gratiarum actiones pro omnibus omnino hominibus, 2. pro imperatoribus, et magistratis cunctis, *vt securam et tranquillam vitam*, cum pietate et grauitate summā, nobis agere liceat. 3. Pulcherrimum enim hoc est, ac Deo, seruatori nostro, longe gratissimum, 4. qui omnes ac singulos homines seruari vult, et ad veritatis scientiam peruenire. 5. Neque vero etiam, nisi unus omnium Deus est, unusque inter hunc et humanum genus interpres, Christus Iesus, 6. qui, ipse homo factus, suā morte omnes exitio liberavit, eamque rem, prius incognitam, hoc tempore nunciandam omnibus curauit, 7. meipsum denique eius praeconem et nūcium, (ita me Christus amet, *vti verum loquor, nec mentior*) tradendā verissimā doctrinā, esse iussit.

8. Volo itaque, *vbi*cunque coetus vester conuerit, mares solos preces publicas, sancte tollendis ad caelum manibus, facere, idque sic, *vt inter* pre-

præcandum neque aduersus quenquam irà et odio  
commoueantur, nec de Dei fauore dubitent. 9. Pa-  
riter mulieres habitu modesto, et verecundo, non  
ciucinnis, anro, margaritis, aut pretioso vestitu,  
10. sed potius, (quod foeminas, veram pietatem  
professas, decet) virtutibus ornari cupio. 11. Om-  
ninoque sexum sequiorem silentio ac debitâ erga vi-  
ros reverentiâ, discere, 12. neque vel publice do-  
cere, vel potestatem in maritos sibi sumere, sed  
quietum manere, ego iubeo. 13. Nam Adamus  
quoque prior, post eum vero demum Eua, condita  
est; 14. vicissim non ille, sed haec, prior de-  
cepta, legem divinam violauit. 15. Posunt tamen  
foeminæ, etiam puerperæ, seruari, dum fiduciam  
in Christum, amorem, sanctitatem, et castitatem  
et ipsae seruauerint.

### C A P. III.

1. Verissimum profecto est, si quis Episcopi  
munere fungi cupiat, eum præclaram rem appetere.  
2. Talem igitur virum oportet esse famâ integrâ,  
vnâ vxore contentum, sobrium, frugi, modestum,  
hospitalē, ad docendum aptum, 3. non vino de-  
ditum, non rixosum, non sordidum, sed affabilem,  
pacis amantem, liberalē; 4. qui domum suam  
bene regat, ac liberos in obedientiâ cum summa  
grauitate contineat; 5. nam si quis suam, priuati,  
familiam nescit regere, quomodo sancto Dei coetui  
praererit?) 6. porro non nimis recens ad religionem  
Christi adductum, ne forte, fastu elatus, maledi-  
corum iudicis sese exponat; 7. denique etiam ab  
iis, qui Christiani non sunt, probari, ne in repre-  
hensionem incurrat, et in mali daemonis fraudes  
incidat.

O o 2

8. Sic

8. Sic et Diaconi granitati debent studere, non bilingues esse, non vinum nimis appetere, non auaritiae indulgere, 9. sed potius arcanam religionis institutionem cum vitae, recte actae, conscientia coniungere. 10. Hi postquam, editis integri animi speciminibus, fuerint cogniti, inter reliquos adsciscantur. 11. Non minus ministras publicas graues esse decet, non maledicas, sed sobrias et per omnia, *ipsis concredita*, fideles. 12. Diaconi vero et ipsi singulas modo singuli vxores habeant, liberisque ac domui vniuersae bene praesint. 13. Nam qui Diaconi munere aliquandiu recte functi sunt, hoc munus praerogatiuam habent ampliorum, simulque magnam cum fiducia in tradenda Christi Iesu doctrina versari possunt.

14. Haec tibi ideo scripsi paulo brevius, vt, etsi me, sperabam, quam primum ad te redditum, 15. tamen, si forte diutius abessem, scires, quomodo tibi versandum esset in domo Dei, qui est coetus, immortali Deo consecratus. 16. Qua in domo columnae et fundamenti veritatis firmissimi instar est arcanum illud, et ex omnium confessione grauissimum religionis caput, quo, Deum ipsum humanam naturam induisse, miraculis hoc demonstrasse, ministris suis rediuiuum apparuisse, in omnium populorum notitiam venisse, ab his promota fiducia susceptum fuisse, denique gloriose in caelo receptum fuisse, contendimus.

#### CAP. IV.

1. Ab hac autem salutari doctrina, diserte mihi Spiritus diuinus aperuit, nonnullos post haec tempora discessuros, falsorumque doctorum, quos mali

mali daemones instigārint, placita sectaturos, 2. qui sub ipsa sanctitatis specie mentiantur, quumque sauciam scelerum conscientiā mentem habeant, 3. matrimonium tamen reipliant, et abstinere alios iubeant cibis, quos Deus ideo condidit, vt cum gratiarum actione a Christianis quoque sumantur, qui verum esse cognoverint, 4. bonum esse, quidquid Deum auctorem habeat, si modo grata mente sumatur; 5. quippe quod ipsa iam destinatione diuina et precibus consecretur.

6. Haec tu si Christianos ita docueris, optimus Iesu Christi minister eris, innutritus ille tum doctrinæ salutari, tum sanctis moribus, in quibus adhuc perstitisti. 7. Vnde et in posterum, reiectis impiis istis et anilibus fabulis, in pietate velint te exerceas. 8. Nam illæ corporum vexationes parum habent utilitatis; pietas contra ad omnes omnino res est fructuosissima, quum ei non huius modo, verum etiam futurae vitae praemia proposita esse constet. 9. Quod profecto est longe verisimum, et meditatione accuratà dignissimum. 10. Non aliâ enim de caussâ et ego tantas aerumnas exterior, hominumque conuicia perfero, nisi, quod spes meas in Deo immortali repono, qui cum omnium omnino hominum, tum imprimis Christianorum se seruatorem praestat. 11. Haec tu quoque trades ac monebis.

12. Caeterum curabis, ne quis aetatulam tuam contemnat, sed ut exemplo sis potius Christianis doctrinâ, amore, miraculorum vsu, fide, et castitate, ita quidem, 13. vt libris sacris praelegendis, monendo, docendoque usque ad redditum meum pergas. 14. Neque vero vti desines insigni afflatâs diuini

diuini beneficio, quod tibi, impositis a seniorum collegio manibus, contigit. 15. Haec meditare, in his totus sis, ut, te quotidie proficere, omnes sentiant. 16. Observa denique te ipsum, et doctrinam, quam tradis, et iis, quae tibi praecepi, constanter obtemperes. Quod si feceris, et tibi, et auditoribus tuis, aeternae salutis caussa evades.

## CAP. V.

1. Seniores te nunquam increpabis, sed tanquam patres, admonebis; iuniores, vt fratres; 2. matronas, ut matres, iuuenculas, vt sorores, servata castitate summam, corriges. 3. Viduis prospice, quae verè viduae sunt scilicet; 4. caeterae si liberos vel nepotes habeant, hi, priusquam sacro coetui molestiam facessant, pii erga suos esse, et his, quibus vitam debent, gratiam referre discant. Id enim deum vere pulchrum, Deoque acceptissimum est. 5. Quae autem verè viduae et orbae sunt, vitam ipsam in Deum profitentur, et precibus votisque ad Deum mittendis, noctu et interdiu inuigilant; 6. quum contra, quae dissolutius viuant, etsi viuac, tamen pro mortuis sint habendae. 7. Et haec tu inculcabis, vt eo sint inculpatiores. 8. Si quis vero suorum, maximè, quos domi habet, curam non gerat, nae, is religionem eiurasse, ac vel profano homine deterior, erit censendum.

9. Neque vero illa vidua ad coetus sanctioris ministeria diligenda est, nisi, quae annos sexaginta viuendo compleuerit, vni tantum marito nupta fuerit, 10. beneficentiae laude floreat, liberos educarit, hospitalitatem exercuerit, Christianis vel vi-

lissi-

lissima ministeria praestiterit, vexatis operam accommodarit, omni denique virtutum Christianarum genere eminuerit. 11. Iuniores autem nolim recipias, quae, postquam, velut in fraudem Christi, sese saginarint, nuptiarum desiderio rursus feruntur. 12. et violati prioris *de perpetua viduitate* promissi infamia laborant. 13. Eadem otiosae circa aliorum domos clam discurrunt, nec otiosae modo, verum etiam garrulae, nimis curiosae, ac multa nefaria loquentes deprehenduntur. 14. Volo igitur iuniores nubere, liberis operam dare, rei familiaris praesesse, neque ullam aduersarii calumniandi occasionem subministrare. 15. Neque enim exempla desunt earum, quae prorsus in pristinam mali demonis potestatem reciderint. 16. *Vt brevi complectar.* si quis Christianus aut Christiana viduas apud se habeant, ipsi de suo eas alant, neque coetus vniuerso molestiam creent, vt hic vere viduas tanto commodius sustentare possit.

17. Qui recte publicae rei praesunt, seniores, duplice salario fruantur, maxime hi, qui in tradenda religionis doctrina occupati sunt, 18. praesertim, quem iam sacri Iudeorum libri, „bobus triturantibus os obturari“ yetent, et „quemlibet operarium mercede dignum“ pronuncient. 19. Neque vero delationem aduersus quenquam eorum, nisi duorum aut trium testimonio firmatam, admittes. 20. Quos autem aliquid constiterit deliquisse, eos coram collegis omnibus coargues, ut reliqui etiam cauere discant. 21. *Caeterum,* ut haec omnia facias sine praeiudicio, nec fauore inductus quenquam legas, te in ipso Dei O. M. et Domini, Iesu Christi, nec non sanctissimarum mentium caelestium conspectu, obtestor. 22. Neque vero manus cuiquam

quam *inaugurando* nimis cito impones, ne alienorum delictorum causa sis, sed purum te potius, ab omni quoque lasciuia conserne. 23. *Cui tamen rei nihil obfuerit*, si non puram amplius aquam biberis, sed vini paululum, propter stomachi tui infirmitatem, et crebros morborum insultus, admissueris.

24. *Omnino de aliorum presbyterii candidatorum vita scelestâ*, inter omnes constat, ut viam iudicio, de iis, ferendo, ipsa iam fama sternat; de aliorum contra vitiis postea demum sermones fiunt, 25. Pariter meliorum virtutes partim ante cooptationem patuerint, partim, etsi nondum patuerint, non diu tamen celari possunt.

## CAP. VI.

1. Quicunque servi dominos habent, Christianae religioni non addictos, omni eos honore dignos habeant, ne Dei O. M. cum nomen, tum doctrinam male audiant. 2. Qui contra Christianis serviunt, hos ne contemnant, quod iam *veluti* fratres eorum sint, sed tanto magis seruilem iis operam approbent, quoniam Christiani ac *Deo* dilecti sunt, et ipsos vicissim beneficiis afficiunt. Haec tu eos docebis atque exhortaberis. 3. Quod si quis aliter *his de rebus* statuat, neque cum sana Domini nostri, Iesu Christi religione, eaque doctrina, quae vnice ad pietatem dicit, consentiat, 4. is inani quodam ignorantiae fastu tumet, eoque *veluti* morbo correptus, solis quaestionibus et de verbis disputationibus occupatur; unde porro inuidentia, rixae, calumniae, mala suspiciones, 5. vanae disceptationes oriuntur hominum perditorum, et a veritate alienatorum, qui

qui quaestum pietatem esse existimant; a quibus ut  
caueas, magnopere admonitum te volo. 6. Est sa-  
ne magnum alioqui etiam in pietate, vectigal, sed  
tantum eatenus, si quis sua sorte simul contentus  
sit. 7. Quod tanto magis fieri decet, quum nec  
nascentes quidquam nobiscum in hanc vitam attu-  
lerimus, nec morientes auferamus. 8. nec deni-  
que, praeter victimum atque amictum sit, quod re-  
quirere iure possimus. 9. Quicunque contra diui-  
tias inhiant, ii temptationum ad peccandum laqueis  
multis se ipsi implicant, et in varias cupiditates,  
insanas illas ac perniciose, incident, quae homines  
in perniciem certissimam atque interitum demer-  
gunt. 10. Fons enim malorum omnium avaritia  
est; qua nonnulli abrepti, Christiana adeo religio-  
ne deserit, plurimum sibi doloris contraxerunt.

11. At tu, qui Dei ministerio dicatus es, haec  
fugies; iustitiam contra, pietatem, integritatem,  
caritatem, patientiam, et mansuetudinem sectabe-  
ris. 12. Cueterum praeclaro pro religione nostra  
certamine defungens, felicitatem futurae vitae ani-  
mo tuo praesentem assidue habebis, quae tibi pro-  
posita est, et cuius firmam te spem habere, coram  
plurimis testibus egregie professus es. 13. Puta-  
bis etiam, ipsum coram audire Deum O. M. mor-  
tuos omnes in vitam olim renocaturum, et Chri-  
stum Iesum, apud Pilatum pulcherrime de se pro-  
fessum, utrumque per me praecipientem, 14. ut  
traditam tibi a me doctrinam integrum ac sine labo  
seruandam cures, donec Dominus noster, Iesus  
Christus, apparuerit, 15. cuius adventum suo tem-  
pore procurabit is, qui beatus est solus, idem po-  
tentissimus, rex regum, dominus dominorum,  
16. solus immortalis, lumine circumfusus inaccesso,  
quem

quem nemo hominum vidit unquam, nec videre poterit, qui denique in aeternum regnat et honorandus est. Amen!

17. Qui huins vitae opibus affluunt, eos vetabis animo efferri, aut spem in diuitiarum vanitate reponere, sed niti potius iubebis immortalis Dei benignitate, qui largissime humano generi fruenda omnia subministrat, 18. beneficentiae studere, virtutum abundare diutinis, liberalitatem exercere, et facile bona sua cum aliis communicare, 19. denique fundamenta iacere firmissima, quibus innixi, felicitatem aeternam in posterum consequantur.

20. Istud depositum tuum, Timothee, velim, custodias ita, ut profanas illas falsasque doctrinas, ac scientiae, (quam perperam vocant) tricas, secum pugnantes, deuites; 21. cuius quum spe nonnulli animum lactassent, a Christianae religionis adeo veritate aberrarunt. Deus O. M. tibi faueat. Amen!  
*Vale.*

Ad Timotheum prior scripta Laodicea, Phrygiae Pacatianae metropoli.

---

EPI-

---

EPISTOLA  
PAVLI AD TIMOTHEUM  
POSTERIOR.

---

CAP I.

1. Paulus, Iesu Christi legatus, iussu Dei ad promittendam hominibus, propter hunc ipsum Christum Iesum, felicitatem sempiternam constitutas,  
2. Timotheo, filio carissimo, fauorem, beneficia ac salutem abs Deo patre, et Christo Iesu, Domino nostro, precor!

3. Gratiam equidem habeo Deo, quem, more maiorum, casta mente veneror, tuâ caussâ, quoniam mentionem tui in precibus meis faceré, nec interdiu, nec noctu desino. 4. Nam et lacrymarum discedentis a me recordor, et, vt solido gudio perfundar, yidendì tui desiderio feror, 5. et fiduciae tuae in Christum integerrimae reminiscor, qua, vt olim Lois, auia tua, et Eunice, mater, excelluerunt, ita non minus tu, scio, et ipse excellis. 6. Vnde monitum te velim, vt vim illam extraordinariam, diuino beneficio et manuum mearum impositione tibi tributam, in te omnibus modis alas atque augeas. 7. Neque enim Deus timidum, sed fortē,

fortem, eundemque tamen sincerum ac modestum  
*utrique* nostrum animum inspirauit. 8. Ne igitur  
te, queso, pudeat vel doctrinæ Domini nostri,  
vel mei adeo ipsius, qui eius causâ in vinculis ago;  
sed eandem, quam ipsa haec doctrina, infamiam  
libenter subeas, praesertim, quum ea in re adiu-  
turus te sit Deus, ille, 9. qui, nos seruaturus,  
vocauit ad possessionem bonorum sanctissimorum;  
neque id propter virtutes nostras, sed peculiari quo-  
dam consilio ac fauore, quem, ab aeterno inde  
propter Christum Iesum, nobis destinatum, 10.  
patefecit iam, mittendo ad nos Iesu Christo, ser-  
vatore nostro, qui, infracta mortis vi, et animorum  
immortalitatem, et corporum perpetuitatem nobis  
sperandam esse, luculenter docuit, idque per eam  
religionem, 11. cuius ego cum omnino praeco ac  
nuncius, tum in primis profanarum gentium doctor  
constitutus sum. 12. Qua de causa quamvis haec  
mihi mala fereada sunt, minime tamen eorum me  
pudet, qui sciam, cui fidem habuerim, certusque  
sum, eum hanc ipsam *doctrinam*, mihi concredi-  
tam, ad finem usque rerum humanarum conseruare  
posse.

13. Tu vero fac, ut in promtu semper habeas  
summam illam et formulam eorum, quae ex me  
longe sanissima audiisti, et quae cum ad doctrinam  
Christi Iesu, tum ad mores pertinent; 14. nec mi-  
nus, quae tibi tradidi, Spiritus diuini ope, qui no-  
bis inest, custodi. 15. Caeterum me ab Asianis  
omnibus desertum esse, inter quos Phygellum et  
Hermogenem tibi nomino, ipse iam nosti. 16.  
Tanto magis Deus O. M. saueat Onesiphori fami-  
liae, quod hic saepius me recreauit, nec viaculo-  
rum meorum infamia deterreri esse passus, 17. quum

Romam

Romam venisset, non prius querere me desiit,  
quam inuenisset. 18. Dominus, *Iesus Christus*,  
eum patri caelesti commendet in die illo iudicii  
novissimo! Nam Ephesi quoque quantâ is mihi  
cum diligentia apparuerit, melius tute scis, quam  
ut narrare tibi opus sit.

CAP. II.

1. Tu itaque, mi fili, fauore Christi Iesu adiutus,  
fortem animum sume, 2. et, quae a me edoc-  
tus es multis praesentibus, ea rursus trade viris  
fidelibus, qui, *te absente*, etiam ad alios docen-  
dos sint idonei. 3. Tu modo, tanquam strenuus  
Iesu Christi miles, molestias, *in ea militia perfe-*  
*rendas*, libenter in te suscipe. 4. Nam nec alii  
milites, eorum certè fauorem retenturi, qui ipsos  
conduxeré, ciuilis vitae se negotiis implicant, 5.  
nec, qui luctantur, praemium luctae accipiunt, nisi  
e legibus athletarum pugnauerint. 6. Neque vero  
est, quod a victus inopia metuas, quum aequum  
sit ut, qui agri colendi laborem suscipit, idem pri-  
mus eius fructum percipiat. 7. Ad haec ego in-  
primis te velim attendere; Deum autem necessa-  
riam tibi ad rem quamque intelligentiam daturum,  
spero.

8. Omnino Iesum Christum, e Dauidica stirpe  
ortum, eiusque in vitam redditum identidem cogi-  
tabis, qualem illum doctrina, a me tradita, pro-  
ponit. 9. Cuius doctrinae caussâ quamvis multas  
molestias, quin vincula adeo, tanquam maleficus  
aliquis, perpetior; tamen illa ipsa vinciri non potest.  
10. Vnde omnia in me, piorum caussâ, libenter sus-  
cipio, ut hi, propter Christum Iesum, iùm in  
hac

hac vita salutem, tūm in futura felicitatem sempiternam consequantur. 11. Verissimum enim perfecto est, nos si eius caussā cum ipso vitam amiserimus, eandem cum ipso recepturos; 12. si mala cum ipso pertulerimus, cum ipso etiam aliquando regnaturos esse. Sin contrā nos eius professionem deseruerimus, et ipsum nos olim deserturum; 13. ac, si nos fidem, ei datam, fefellerimus, et ipsum, quae perfidis minatus est, ad effectum perducturum, quum sibi non constare minime possit.

14. Haec tuos tu monebis, eosque per Christum obtestaberis, ne de verbis rixentur, quae rixae non modo nihil prosunt, sed etiam peruertere auditores solent; 15. tu vero ipse probare te Deo studebis ministrum intrepidum, qui doctrinam salutarem rite tractet. 16. Profanas contrā nugas vitabis, quibus indies latius impietas angeri solet. 17. Sed et ipsa impiorum doctrina latius quotidie serpit, vt Hymenaei et Phileti exemplis pater. 18. qui, quum mortuorum in vitam redditum iam factum esse, semel contendissent, non modo ipsi a veritate aberrarunt, verum etiam nonnullos alias a doctrina Christiana auertere etiam nunc pergunt. 19. Sed firmo tamen aedes Dei *sacra* fundamento nititur, in fronte inscriptiones gerens: „Deus tuetur suos;“ et: „Impietate abstineat, quisquis Christi religionem profitetur!“ 20. Sunt autem in magnis domibus non modo vasa aurea et argentea, sed etiam lignea atque sicilia; nec honestis modo, sed et secretis vsibus destinata. 21. A posteriori igitur genere qui esse purgauerit, is vasis honestioris loco erit, *hoc est, doctor sanctus, domino* utilis, et ad quaslibet virtutes exercendas optime praeparatus.

22. Cu-

22. Cupiditates vero iuueniles dum studes fugere, iustitiam, fidem, caritatem et concordiam sectare cum his, qui puro animo Dominum colunt, 23. Stultas contrà et absurdas quaestiones denita, quum nihil nisi rixas iis, scias, excitari, 24. Dei autem ministrum minimè deceat contentiosum, sed mitem erga omnes esse, libenter docere, multas deuorare molestias, 25. placide denique aduersarios refellere; *quoniam nescit*, an Deus meliorem iis mentem immissurus sit, ut, agnità veritate, 26. atque edormitā veluti crapulā, qnām periculoso mali daemonis laqueo impediti fuerint, intelligent, contrà illius operā, ex voto Dei haud paulo melioribus hinc vinculis alligentur.

### CAP. III.

1. Scias porro, paulo post haec imminere tempora, admodum difficultia, 2. quibus homines reperiantur sui admiratores, auari, arrogantes, superbi, maledici, parentibus immorigeri, ingrati, profani, 3. morosi, perfidi, calumniatores, intemperantes, crudeles, bonis inimici, 4. proditores, procaces, inflati, voluptatum denique, quam Dei, amantiores; 5. qui pietatis speciem mentiuntur, veram vim *factis ipsis* negent. Hos ut caueas, moneo. 6. Ex hoc enim genere sunt maxime, qui in domos clam irreptentes, mulierculas sibi mancipant, malefactorum complurium conscientiā cruciatas, variis cupiditatibus irretitas, 7. perpetuo denique caussantes, se velle discere, quum tamen nunquam ad veritatis scientiam peruenire possint. 8. Et quemadmodum olim Mosi Iannes et Iambres aduersabantur; ita et hi homines, animo perdit, doctrinā corrupti, solent veritati resistere.

9. Sed

9. Sed non multum sane proficient, quum non minus nunc horum, quam illorum olim, furor omnibus in oculos incursurus sit.

10. Tu contrâ omnem rationem meam, *hoc est*, doctrinam, disciplinam, consilia, fidem, lenitatem, caritatem, patientiam amplexus es; 11. affuisti quoque istis vexationibus et malis, quae mihi Antiochiae in Pisidia, Iconii, et Lystris acciderunt; vbi etsi miris modis infestatus sum, ex omnibus tamen Dei O. M. me misericordia eripuit. 12. Omnes quippe ii, qui verâ Christum Iesum pietate in hac vitâ prosequi voluerint, vexabuntur; 13. mali vero homines et impostores, nunc *alios* fallentes, nunc ab aliis rursus decepti, quo vinunt diutius, eo peiores fieri solent.

14. At tu his, quaeso, insiste, quae didicisti, et in quibus fidelem te adhuc praebuisti, neque, à quo didiceris, obliuiscere, 15. non ignarus, te à puero in sacris litteris institutum esse, que satis idoneum ad consequendam fiduciâ, in Christo Iesu reponendâ, salutem aeternam reddere te possunt. 16. Omnes enim libri sacri, quum divinitus sint inspirati, proinde etiam ad docendos rudes, convincendos errantes, corrigendos malos, et confirmandos pios longe sunt utilissimi, 17. vt qui libet religionis doctor, quidquid ad recte obeundas munieris sui partes, opus habet, inde possit de-  
promere.

#### CAP. IV.

1. Obtestor igitur te per Deum ac Dominum, Iesum Christum, qui iudex aliquando futurus est  
mortu-

mortuorum atque viuentium, quo tempore maiestas eius maxime illustrabitur, 2. vt doctrinam Christianam tradas, instes, siue placeat *auditoribus*, siue displiceat, arguas, increpes, admoneas, adhibita tamen in docendo lenitate. 3. Erit enim tempus, quo sanior iis doctrina sordeat, et, quoniam aures ipsis pruriunt, nouos sibi doctores, ad palatum suum veluti factos, deligant, 4. atque ita, auersis à veritate auribus, ad fabulas amplectendas sese conuertant.

5. Tu vero tanto magis semper vigiles, molestias toleres, doctorem Christianum, extra ordinem constitutum, agas, omnesque huius muneris partes exsequare. 6. Nam ad me quidem quod attinet, necis meae praeludia iam sentio, et, *veluti nauem* ex hac vita quam primum mihi soluendam esse, intelligo. 7. Qui *quum* certamen strenue subierim, cursum absolverim, fidem *per omnia seruarim*; 8. nihil quidem iam restat amplius, nisi, *vt seponatur* mihi corona, promissum pietatis praemium, quam mihi Dominus *meus*, idemque iudex iustissimus, futuro illo magno die tribuet; quamquam non mihi soli, sed et omnibus, *hunc eius* aduentum cum gaudio sperantibus, *illa continget*.

9. *Caeterum* cum primum fieri poterit, tu ad me venias velim. 10. Demetrius enim, me relieto, sua iterum secutus negotia, Thessalonicanam, Crescentius Galatiam, Titus Dalmatiam repeterunt. 11. Vnus apud me Lucilius remansit. Marcum tu tecum adduces, qui mihi ad varia ministeria utilis esse possit. 12. Tychicum contra ipse, *tuo loco* docturum, Ephesum misi. 13. Paenulam, quam Troade apud Carpum reliqueram, et libros,

Pp

mem.

membranaceos maxime, quando venies, tecum afferes. 14. Alexander, faber aerarius, multas mihi iniurias intulit, quarum haud dubie poenas Deo dabit. 15. Quem tu quoque caueas, velim, quum doctrinae meae tam acriter restiterit.

16. Quum caussam meam primum in iudicio agerem, *etsi nemo e nostris mihi aderat, sed omnes me deseruerant, (quod, nolim, abs Deo ipsis imputetur!)* 17. ipse tamen Dominus mihi adfuit, meque sic confirmauit, vt per me salutaris doctrina innotesceret, et omnes adeo profani, qui *Romae essent*, eam audirent, nec minus ego ipse tanquam e fauibus leonis, *me laceraturi*, liberarer. 18. Sed liberabit me idem ab omni reliquo malorum genere, seruatumque in regnum suum caeleste *trahet*, qui in aeternum laudetur ac celebretur. Amen!

19. Priscam et Aquilam, nec non Onesiphori familiam meo nomine salutabis. 20. Erastus Corinthi remansit. Trophimum autem aegrotum Miletii reliqui. 21. Tu ante hyemem, operam dabis, vt ad me venias. Salutant te Eubulus, Pudens, Linus, Clodia, et omnes Christiani. 22. Dominus, Iesus Christus, animum tuum regat, ac vos omnes fauore suo beare velit. Amen! *Vale!*

Altera haec ad Timotheum, coetus sacri Ephesini delectum Episcopum, scripta est Româ, postquam Paulus iterum coram Nerone caussam dixerat.

---

EPISTO.

**EPISTOLA  
PAVLI AD TITUM.**

**CAP. I.**

1. Paulus, Dei minister, Iesu Christi autem legatus, (quo hic utitur ad tradendam hominibus, saluti aeternae a Deo destinatis, religionem, ac veritatis, ad pietatem ducentis, scientiam, 2. quae felicitatis perpetuae spem facit, ab antiquissimis inde temporibus abs Deo veracissimo promissae, 3. qui suo iam tempore consilium suum patefecit in ea ipsa doctrina, quam ego, Dei, seruatoris nostri, mandato tradere iussus sum;) ego igitur Tito, filio meo germano, et communem mecum religionem profitenti, fauorem, benevolentiam ac salutem a Deo patre ac Domino, Iesu Christo, seruatore nostro, ex animo precor!

5. Ego te eo potissimum consilio in Creta reliqui, vt, quae ipse non potueram perficere, tu ordinares, et in singulis vrribus doctores, quemadmodum tibi mandaram, constitueres, 6. si qui essent inculpati moribus, singolorum vxorum mariti singuli, liberos denique haberent, Christiana doctrinam imbutos, nec luxuriosos, nec contumaces. 7. Opor-

tet enim eiusmodi doctorem esse sine reprehensione, tanquam Dei procuratorem, non superbum, non iracundum, non rixosum, non vehementem, non sordidum, 8. sed hospitalem, benignum, castum, iustum, sanctum, temperantem; 9. tenacem religionis verissimae, sibi traditae, ita quidem, ut non minus in doctrina seniori *recte sentientes* confirmare, quam refellere dissentientes possit. 10. Sunt enim quam plurimi peruvicaces, vanarum opinionum et sectatores, et propagatores, e Iudeis maxime, 11. quos sane ad silentium ab eo redigi oportet, quum, turpis quaestus caussa, contraria Christi doctrinae docere, quin integras adeo familias ab ea auertere minime vereantur. 12. Vnde aliquis eorum popularis, tanquam in hos ipsos, furore poetico abreptus, satyram scripsisset, alienbi dixit: „Cres semper mendax, mala bestia, turpis et aliua.“ 13. Quo testimonio verius dici nihil potest. Itaque, ut ad seniora placita redire discant, acriter tu eos refutabis, 14. neque commentis Iudaicis et hominum, veritati inimicorum placitis fidem habere si-nes. 15. Possunt enim profecto *talia* omnia puris mentibus esse quodammodo innocua; sed impuris et profanis nihil tam purum est, quin eo mentem et animum inquinent. 16. Certe, Deum se nosse, quum verbis prae se ferant, factis *tamen negant* homines, omnino abominabiles, immorigri, et ad quamlibet virtutem plane inepti.

## CAP. II.

1. Tu contra, quae cum seniori doctrinâ conueniunt, velim praecipias, 2. senioribus quidem, ut sobrii, graues ac temperantes sint, ipsorumque non modo doctrina, sed etiam amor et patientia re-

cte

cte se habeant; 3. matronis, vt decentem sanctas habitum seruent, ne quenquam calumnientur, ne vi-  
no sint deditae, sed potius *iuniorum foeminarum*  
magistrae, 4. easque adsuefiant ad amandos ma-  
ritos ac liberos, 5. inbeantque esse sobrias, castas,  
domi assidentes, benignas, maritis denique obe-  
diant, ne religio Christiana infametur. 6. Iunio-  
res vero *mares* tu pariter ad temperantium cohortare,  
7. teipsum veluti viuam sistens virtutum omnium  
imaginem, doctrinamque diuinam cum grauitate  
quadam integrum, 8. sanam et incorruptam tra-  
de, vt, si quis ei aduersetur, erubescere cogatur,  
quod nihil mali de vobis dicere ipsi liceat. 9. Ser-  
vos denique iubebis heris suis parere, per omnia  
gratificari, nec obloquentes ipsis, 10. nec inter-  
vertentes quidquam, sed summâ potius fide sibi  
mandata exequi, vt doctrinam Dei, servatoris no-  
stri, per omnia pro viribus ornent,

11. *Hoc enim maxime tempore salutaris illa to-*  
ti humano generi Dei O. M. benignitas innotuit,  
12. qua impellimur, vt, abiecta impletate omni et  
prauis cupiditatibus, temperantiae, iustitiae, ac san-  
ctitati per vitam omnem studeamus, 13. *caeterum*  
vero bona æterna, nobis promissa et in adventu  
Dei summi ac seruatoris nostri, Iesu Christi, glorio-  
sissimo *affutura*, patienter *exspectemus*. 14. *Hic enim* pro nobis ipse mortem occubuit, non alium  
sane in finem, nisi, ut ab omni animi pravitate nos  
liberaret, sibique rempublicam quandam conderet  
perfectissimam, cuius ciues, virtutum studiosos,  
praecipuo quodam amore posset complecti. 15. Haec,  
*inquam*, tu, docebis, et monebis, et errantes gra-  
vissime refelles, ita tamen, vt ne quis te iure pos-  
sit contempnere.

CAP.

## CAP. III.

1. Itaque etiam Cretenses tuos exhortaberis, ut principibus et magistratibus obediant, libenter iis dicto sint audientes, ad omne virtutis genus demonstrandum parati, 2. neminem conviciis impetrant, rixas detestentur, humanitate summa et mansuetudine erga omnes vtantur. 3. Sane quidem nos et ipsi antehac stulti eramus, contumaces, ac caeci, variarum cupiditatum et libidinum servi, malitia et inuidentiae dediti, nec magis exosi inuicem, quare odio dignissimi. 4. At posteaquam insignis Dei O. M. seruatoris nostri, benignitas et erga humanum genus fauor apparuit; 5. ille, non pro virtutum nostrorum sive copia, sive magnitudine, quae potius nulla erat, sed pro infinita sua misericordia, per lauacrum animis mutandis, et emendationem, diuino ipsius Spiritu effectam, ad salutem nos perduxit; 6. culus *Spiritus dona*, propter Iesum Christum, seruatorem nostrum, largissime in nos effudit, 7. vt, huius beneficio cum eo reconciliati, felicitatis aeternae, aliquando consequendae, certissimam spem consequeremur.

8. Quae quum sint omnia longe verissima, eadem abs te vrgeri docendo velim, vt, quicunque Christianam religionem suscepient, opus sibi esse externa virtutum suarum demonstratione, intelligent; ea enim et in se est pulcherrima, et hominibus aliis prodest. 9. Stultas autem quaestiones de genealogiis Indaicis, litesque et rixas de sacris eorum ritibus, quoniam vanae ac nullius omnino utilitatis sunt, plane deuitabiles. 10. Hominem sectarium quum semel atque iterum frustra erroris sui admonueris, pariter fugies, 11. certus quippe, tales

tales peruersae esse indolis, ac seipso aliquando  
delicti admissi esse condemnaturos.

12. Quum Artemidorum aut Tychicum ad te  
misero, Nicopolin ad me fac venias; ibi enim hy-  
mem cogito transigere. 13. Zenodorum, legis do-  
ctorem, et Apolloniam, amanter dimissos, in iti-  
nere sic alendos curabis, ut iis nihil desit. 14. De-  
bent enim Cretenses nostri discere, beneficentiam  
exercere, vbi necessitas postulet, ne sterilem pie-  
tatem profiteantur.

15. Salutant te, qui mecum sunt omnes ac sin-  
guli, tu vicissim eos salutabis, qui nos digno Chri-  
stianis amore prosequuntur. Diuinus fauor vobis  
omnibus adsit. Amen! Vale!

Ad Titum, coetus Christiani Cretensis Episcopum  
delectum, scripta Nicopoli in prouincia Macedonia.

---

EPL

EPISTOLA  
PAVLI AD PHILEMONEM.

CAP. I.

1. Paulus, propter Christum in vinculis constitutus,  
et Timotheus, Christianus, Philemoni, collegae no-  
stro carissimo, 2. Appiae, *vxori eius* optimae, et  
Archippo, commilitoni, denique Christianis omni-  
bus, apud vos congregatis, 3. salutem et felici-  
tatem ab Deo, patre nostro, et Iesu Christo pre-  
camur.

4. Evidem, qui semper mentionem tui in  
precibus meis facio, gratias Deo meo agere  
soleo, 5. quum et, quantam in Iesu Domino fi-  
duciam reposneris, et, quanto in Christianos omnes  
amore feraris, compererim. 6. Preco autem, vt  
quum, quantum vobis omnibus boni insit, cogno-  
veris, tua illa in Christum Iesum fiducia, maiores  
indies fructus ferat. 7. Gratissimum enim mihi si  
solatio plenissimum contigit hoc, quod per te, vi-  
rum

rum humanissimum, Christianorum animi mirum  
in modum recreati sunt.

8. Quapropter etsi, pro potestate, a Christo con-  
cessa, iubendo tibi possem, quae officii tui sunt,  
iniungere; 9. tamen, propter beneficentiam istam  
tuam, Paulus, ille ego senex, idemque nunc pro-  
pter doctrinam Iesu Christi, in vinculis constitu-  
tus, 10. rogando potius id studebo consequi. Sunt  
scilicet, quae abs te pro Onesimo, filio quasi meo,  
quem mea mihi vincula pepererunt, petam. 11.  
Quem, quum antea tibi vile mancipium fuisse  
nunc utriusque nostrum utilissimum futurum, remisi,  
12. Hunc tu, meis mihi visceribus cariores, in  
gratiam, queso, recipias. 13. Nam etsi eum ab  
initio apud me retinere decreueram, vt mihi, pro-  
pter Christi doctrinam captiuo, tua vice ministraret;  
14. nihil tamen, te inuitio, volebam facere, ne,  
quod tu recte facturus fueras, coactus, sed tua  
sponte potius, faceres. 15. Nam fortasse ideo tibi  
per aliquod tempus subtractus est, vt eum deinde  
perpetuo tecum haberes, 16. non vt seruum qui-  
dem, sed vt aliquid amplius, hoc est, Christianum,  
eumque carissimum, ac vel mihi, at quanto magis  
tibi, et humanis et diuinis vinculis coniunctissi-  
mum? 17. Quod si me amicum tibi censes, tan-  
quam meipsum eum recipias, peto. 18. Sin te for-  
te fraudauit, aut tibi aliquid debet, id mihi impu-  
tabis, 19. ac me, quod hac manu mea scripsi Pau-  
lus, tibi soluturum, credas; ne dicam, te mihi  
te ipsum adeo debere. 20. Fac igitur, per Deum,  
queso, vt, qui nomen Onesimi habet, homo vt  
iam dixi, visceribus mihi meis carior, re ipsa quo-  
que fiat Onesimus. 21. Fretus itaque tua erga me  
obedientia, has ad te litteras dedi, probe gnarus, te

vota

vota mea longe superaturum. 22. Simul, quoniam  
fore spero, vt abs Deo precibus vestris *reditus meus*  
condonetur, hospitium mihi abs te parari velim.  
23. Salutant te Epaphroditus, qui tecum in vincu-  
lis definitur, Marcus, 24. Aristarchus, Demetrius,  
Lucilius, collegae mei omnes. 25. Vestris animis  
Domini nostri, Iesu Christi, fauor adspiret. Amen!  
*Vale!*

Ad Philemonem Româ scripta, per Onesimum,  
seruum.

EPI.

---

EPISTOLA  
PAVLI AD HEBRAEOS.

---

CAP. I.

i. Qui saepenumero et variis modis olim maioribus nostris per vates, quid fieri vellet, denunciavit, Deus O. M. idem recentissima hac aetate per filium suam nobis voluntatem declarauit, 2. cui rerum omnium potestatem permisit, per quem ipsum adeo mundum condidit; 3. in quo diuina eius maiestas resplendet, et imago naturae infinitae impressa refulget, cuius potentia diuina cuncta nuntiatur, qui denique, conciliata nobis per mortem suam delictorum venia, parem cum patre in caelo maiestatem consecutus est, 4. tanto sublimiorem angelis dignitatem adeptus, quanto excellentius eorum nomine nomen sortitus est. 5. Cui enim, quaeso, angelorum hoc Deus tribuit, ut eum „filium,“  
hodie ab se genitum, „appellaret, „se autem eius parentem“ non minus, quam illum „filium suum“ diceret? 6. Porro, ubi huius filii aduentum orbiterarum denunciat, ab omnibus eum angelis adorari iubet. 7. Et angelos quidem „ventos“ ac ministros caelestes „igneas flamas“ appellat; 8. de filio

filio autem sic legimus: „Solum tuum, o Deus, aeternum est; regnique tui administratio longe iustissima, 9. quum iustitiam ames, iniquitatem odoris: vnde te, o Deus, longe excellentiorem Deus tuus alius regibus omnibus reddidit.“ 10. Alio rursus loco: „Tu, Domine, olim terrarum pariter ac caelorum orbes condidisti. 11. Hi aliquando iteribunt, tu manebis; hi, vestimenti more, obsolescent, 12. quin a te ipso, pallii in modum conversi, immutabuntur; tu contra idem semper eris, neque esse vñquam desines.“ 13. Quem denique angelum, constat, vñquam a Deo „iussum, par cum ipso in omnes imperium habere, donec vniuersos eius hostes plane debellasset?“ 14. Nonne hi naturae modo ministrae sunt, quae ad adiuuandos homines, felicitatis caelestis participes olim futuros, emittuntur?

## CAP. II.

1. Itaque eo magis doctrinae nobis traditae nos decebit attendere, ne ab ea vñquam deflectamus.
2. Si enim ea lex, quae in angelorum comitatu promulgata est, firma fuit, ita, vt, quisquis eam ausus esset negligere, vel dicto audiens ei non esse, poenas daret iustissimas;
3. quomodo has nos effugiemus, si tam incredibilem felicitatem parui fecerimus, cuius quum primam notitiam Dominus ipse dedisset, ea ab illius auditoribus ad nos certissimâ fide propagata est,
4. diuinam eius originem insuper testante Deo per miracula, ostenta, dotes docentium varias, ac donorum Spiritus sui distributione, quae ei pro arbitrio adiunxit?
5. Iam nouam illam ac perpetua duraturam rempublicam suam, de qua hic loquimur, non subiecit angelis,
6. verum ei, da

de quo scriptor diuinus haec cecinīt: „Quantus,  
quaeso, homo ille est, cuius tu ita meministi?  
Quantus ille mortalis, quem tanto fānore pro-  
sequeris, 7. vt, quamuis, per exiguum aliquod  
tempus, eum infra angelos depressisses, summa-  
tamen deinde maiestate et gloria ornatum, vniuersi  
mundi dominum constitueres, 8. et, quidquid  
vbique rerum est, eius arbitrio subiiceres!“ Quod  
si omnia ei subiecit, sequitur profecto, nihil eum  
relinuisse omnino, quod illi non subiecerit. Iam  
quidem ei nondum omnia videmus subiecta; 9.  
sed tamen hunc ipsum Iesum, aliquandiu infra an-  
gelos depressum, postquam, benigno Dei consilio  
mortis acerbitatem pro nobis omnibus gustarāt,  
propter obitam constanter necem, gloria summa ac  
maiestate, scimus, ornatum fuisse. 10. Decebat  
quoque Deum, per quem et cuius caussā sunt om-  
nia, qui tot iam homines ad felicitatem summam  
euexisset, vt primum illum salutis eorum aucto-  
rem per ipsos cruciatūs ad summum maiestatis cul-  
men extolleret. 11. Etenim et is, qui beatos red-  
dit, et ii, qui felices ab eo redduntur, communem  
vtrique generis auctorem, Abrahamum, habent;  
vnde nec hos, ille erubescit, fratrū nomine com-  
pellare, 12. quando v. c. apud vatem, „se fratri-  
bus laudes Dei cantaturum, et in medio horum  
coetu eum celebraturum,“ pollicetur; 13. alio  
autem loco, „se vna cum filiis Dei, quos ipse hic  
sibi dederit, id est, fratribus, solo eins auxilio  
fretum fore,“ profitetur. 14. Hi igitur filii, Chri-  
sti fratres, quum mortale corpus sortiti sint, ille  
pariter eo se induit, vt, subeunda morte, princi-  
pem et auctorem mortis, hoc est, malum daemo-  
nem, vinceret, 15. et omnes perpetuo illo ac ser-  
vili mortis metu liberaret. 16. Quum enim non

ange-

angelis, sed Abrahā posteris auxilium tulisset; 17. per omnia similem fratribus eum esse oportebat, vt et aliorum misereretur, et, quum sacerdos summus euasisset, eo maiori fide rem diuinam faceret, suoque populo delictorum veniam imprestatet. 18. Quoniam enim ipse malis infestatus fuit, tanto prouius, (expertus quippe,) alias, pari fortunā vexatos, iuare potest.

## CAP. III.

1. Vos igitur, o populares, iam Christiani, bonorum caelestium, nobis destinatorum, facti particeps, considerate, quaeso, Christum Iesum, hunc Dei legatum ac foederis cum eo initi interpretem, 2. quam fidelis ille mittenti ipsum hero fuerit, familiamque eius omnem, pariter ac Moses, rexerit? 3. Quin tanto magis ille Mosi praeferendus est, quanto magis familiae praefertur, qui eius auctor est. 4. Atque sicut singulae familie auctores suos habent; ita communis omnium Deus auctor est. 5. Cuius in familia omni curandā quamvis Moses, vt minister, fidelissime versatus est, qui ipse adeo de rebus, multo post clarius aperiendis, vaticinabatur; 6. Christus tamen, vt filius, suae praefectus fuit; ad quam quidem familiam nos quoque referendi sumus, si modo animi fiduciam laetamque spem ad vitae finem firmiter retinuerimus.

7. Quapropter quemadmodum apud vatem Spiritus diuinus ita hortatur: „Hoc ipso die, quo monentem adhuc Deum andistis, 8. ne, quaeso, eam pernicaciam ostendite, quae a maioribus vestris rebellibus in deserta regione ostendebatur, 9. qui, etsi miracula, a me inter ipsos edita, per-

integros quadraginta annos viderant; tamen, *veluti* periculum de me facturi, veracitati meae diffidebant; 10. vnde toti infensus ego genti, quod perpetuo animis errantes, et consiliis meis adversantes vide-rem, 11. indignabundus tandem iurabam, eos quietem, *in terrâ promissâ alioqui per me sperandam*, nunquam esse consecuturos:“ 12. ita et vos iam, o carissimi, videte, quaeso, ne quis inter vos ma-lum ac dissidentem animum, deficiendo a religione, verè diuina, prodat; 13. quotidie potius vos ipsi inuicem, quoad hodiernum diem appellare quis-quam potuerit, ad constantiam in ea hortamini, ne quis forte vestrûm, vitiorum illecebris deceptus, ani-mum adversus eam obfirmsit. 14. Non enim nisi sic participes facti esse Christi beneficiorum dici pos-sumus, si fiduciam, semel captam, ad finem usque retinuerimus. 15. Quamdiu igitur haec loquentem *veluti ad vos vatem* legitis: „Hoc ipso die, quo monentem adhuc Deum audistis;“ tam diu et vos animum vestrum ne, quaeso, obfirmsitis, ut maiores vestri rebelles fecerunt. 16. Quinam enim audi-tam Dei monentis vocem repudiariunt? Nonne omnes, quos ex Aegypto Moses eduxerat? 17. Qui-bus porro is per quadraginta annos infestus fuit? Nonne his, qui eum irritarant, ideoque in deserto miserrime pérabant? 18. Quos denique idem, iureuando interposito, negauit, quietem *in terrâ promissâ* unquam consecuturos? Nonne eos, qui verbis ipsius fidem non habuerant? 19. Apparet igitur, propter dissidentiam eos in illam terram per-venire non potuisse.

## CAP. IV.

1. Caneamus itaque, ne, quum nobis etiam quies aliqua caelestis promissa sit, quiesquam no-strum

strum hac spe excidat. 2. Pariter enim nobis, atque illis, eius spes facta est; nisi, quod illis nihil profuit audita promissio, propterea, quoniam promittentis verba audientium fides non sequebatur. 3. Nos igitur quietem illam, ab Deo promissam, (e verbis quidem illis: „Iratus iurauit, eos quietem, a me promissam, nunquam consecuturos.“) si fiduciam in ipso reposuerimus, consequemur; quamquam opere creationis statim ab initio mundi absoluto, Deus iam quicuisse dicitur. 4. Nam de septimo die relatum alicubi legitimus, „qui enisse Deum septimo die ab operibus suis omnibus:“ 5. Rursus tamen in loco, saepius commemorato, iurat, hos certe nunquam ad quietem peruenturos. 6. Quid ergo? Quoniam viisque relinquitur, fore, qui ad eam perueniant, neque tamen, quibus hoc prius promissum fuit, ad eam peruenierunt; 7. alium rursus diem praestituit, quum per Dauidem, tam longo post Mosen temporis intervallo: „Hodie“ dicit, nempe illo loco: „Hoc ipso die, quo monentem Deum audistis, ne, quaeas, peruvicaces vos ostendite. 8. Quod si Iosua eos ad hanc quietem perduxisset, quid opus erat, alium post eius tempora diem praefinire? 9. Necesse est igitur, aliam quietem populo, quem Deus amat prae caeteris, sperandam esse. 10. ad quam quisquis peruenierit, sicuti Deus ab operibus, ita et ipse a laboribus suis, conquiesceret.

11. Studeamus igitur et nos huius quietis fieri participes, ne quis forte ad parem *cum illis* dissidentiam delapsus, pariter cum iisdem pereat. 12. Vim enim summam habent *minantis* Dei verba et efficaciam, acutiora illa gladio ancipi quolibet, ad intimam mentem animumque, quin ad ipsas adeo ossium

ossium medullas penetrantia, et omnes impiorum sensus cogitationesque condemnant. 13. Neque villa res creata ei, quocum nobis negotium est, *Deo*, obscura esse potest, sed ad vnum omnia eius oculis nuda ac *veluti* resupinata, patescunt. 14. Quum itaque expiatorem delictorum nostrorum habeamus longe maximum, in caelos adeo enectum, Iesum, Dei filium, in professione nominis eius, semel suscepta, maneamus. 15. Non enim is est sacerdos noster, qui infirmitatis nostrae misericordia non tangatur, quum potius ipse, pariter, vti nos, omne malorum genus, excepta animi pravitate naturali, expertus sit. 16. Itaque fidenti animo ad *sospitatoris* tam beneficí solium accurramus, vt nostri misereatur, fauorem nobis suum imperiat, et auxilium praestet, longe, nobis quidem, opportunissimum.

CAP. V.

1. Quilibet enim summorum sacerdotum, e mortalium quidem numero delectus, aliorum, sui simillium, caussa, ad cultum diuinum constitui solet, vt gratias Deo agat, et victimas pro delictis offerat. 2. Qui quum ipse humanae imbecillitatē sit obnoxius, facile ignaris et errantibus potest ignoroscere; 3. quin, propter hanc ipsam caussam, sicuti pro populo, ita pro seipso, sacrificia delictis expiandis offerre debet. 4. *Quemadmodum* autem nemo huius munieris honorem sibi sumit, nisi a Deo ipso, vti Aaron, fuerit vocatus; 5. ita neque Christus seipso sacerdotem summum creavit, sed is, qui „eum filium suum, hodie, ab se genitum,” declarārat, 6. eundem alibi „sacerdotem aeternum, e Melchisedeci formula, esse” dixit. 7. Qui,

Q q quum,

quum, inter homines adhuc degens, preces supplices, cum lacrymis adeo et querelis vehementissimis coniunctas, ad patrem, qui *solutus* eum morti poterat eripere, effudisset, liberatus est quidem illo mortis metu, 8. sed tamen, quantumvis esset *Dei* filius, ferendis denum malis obedientiam eum oportebat discere, 9. Sed idem nihilo minus deinde ad summam dignitatem evectus, omnibus, qui ipsi parent, aeternam felicitatem comparavit; 10. qua ipsa de causa illum Deus sacerdotem summum e Melchisedeci formula declarasse, merito censendus est.

11. Atque hac de similitudine multa sane possem disserere, nisi propter vestram in intelligentia tarditatem, paulo difficilior esset haec disputatio. 12. Qui, quum, pro temporis diuturnitate aliorum iam doctores esse debeatis, rursus opus habetis, ut aliquis prima doctrinae elementa vobis tradat, adeoque lacte, non firmiore cibo, indigetis. 13. Quisquis enim adhuc lac *tantum* bibit, quum infans sit, sublimiorem doctrinam nondum capit, 14. quum cibus hic *veluti* firmior non conveniat, nisi prouectionibus, et satis exercitatos ad discernendas rerum virtutes et vitia, sensus habentibus.

## CAP. VI.

1. 2. 3. Nihilominus tamen, relictis his elementis primis, de emendatione animi a vitiositate pristina, fiduciâ in Deo reponendâ, sacri lauacri sollemnibus, institutione, manuum impositione, mortuorum in vitam reditu, et poenis aeternis, ad sublimiora transeamus; quod bono cum Deo faciemus cum maxime. 4. Quis enim eos, qui semel agnitâ reli-

religionis Christianae veritate, gustatà donorum caelestium dulcedine, acceptis Spiritùs diuini dotibus, 5. perspecta oraculorum diuinorum bonitate, percepta denique doctrinae de futurâ Christianorum felicitate efficacia, 6. tamen haec sacra rursus deseruerint, ad meliorem mentem renocare possit, quum illi filium Dei, quasi denuo in crucem actum, omnium contumeliae exponant? 7. Tellus quidem, quae crebrum imbreui combibit, et vtiles coletibus herbas gignit, indies abs Deo fertilior reddi solet; 8. quae autem spinas ac tribulos fert, contemnitur sterilitatis caussâ, eiusque germina comburuntur. *Par ratio in hominibus esse solet.*

9. Sed quanquam paulo durius loquor, tamen de vobis, o carissimi, meliora, et cum felicitate vestrâ coniunctioniora edoctus sum. 10. Neque enim tam iniquus est Deus, vt nullam rationem habeat vestri studii, et in demonstrando amore diligentiae, quo, ipsius caussâ, Christianos alias et complexi estis, et adhuc complectimini. 11. Illud tantum optamus, vt quilibet vestrum eandem in spe constanter et firmiter tenenda diligentiam adhibeat, 12. ne studio deficiatis, sed eos potius imitemini, qui constanti fiduciâ bonorum promissorum participes facti sunt. 13. Abraham enim, verbi caussâ, promissionem datam confirmaturns Deus quum per excelsiorem iurare non posset, per se ipsum iurauit, 14. postquam „se eum beatum et posteros ipsius insigniter multiplicaturum“ dixerat. 15. Cuius rei exitum ille quum patienter expectasset, id, quod promissum fuerat, consecutus est. 16. Homines enim semper iurare per excelsiorem aliquem solent, omninoque nihil apud eos ad finiendas ri- xas, et confirmandam rem quamlibet iureiurando

Q q 2

est

est potentius. 17. Deus ergo, quum his, quibus bona promissa destinàrat, vellet fidem quam luculentissime facere, se serio agere et velle, pariter et ipse iuriandum interposuit, 18. vt duabus his rebus firmissimis, in quibus fraus apud Deum intercedere nunquam potest, nos, quibus ad spem honorum futurorum confugiendum est, animos nostros vehementer consolaremur. 19. Qua quidem spe, veluti tutâ quadam et firmissimâ ancorâ, nitimur, quae ad adytâ usque templi pertineat, 20. quo nostrâ caussâ Iesus nos praecurrit, summus ille (*vt supra dicebam*) aeternus sacerdos, ad Melchisedeci formulam *ab ipso patre declaratus*.

## CAP. VII.

1. Hic igitur Melchisedecus rex erat Salemi, idemque summi Dei sacerdos, qui, reuerso a regum caede Abrahamo obuiam profectus, nihil non boni precabatur, 2. et cui decimas praedae omnis, ab se factae, Abrahamus impertiebatur. Nomina vero „Melchisedeci“ ac „Regis Salemi“ si interpreteris, illud, „regem iustissimum“, hoc „pacis amantissimum“ significat. 3. Caeterum nec, quis ei pater, quae mater, quae familia fuerit, nec, quando natus, quando mortuus sit, constat: *hoc unum memoriae proditum est*, comparari eum cum filio Dei, ac perpetuum sacerdotem vocari. 4. Iam, quaeso, considerate, quantum eum oporteat fuisse, cui ipse adeo Abrahamus, maiorum nostrorum princeps, decimas praedae obtulerit. 5. Nam Leuitas quidem, quotquot sacerdotio funguntur, e legis praescripto, constat, ab omni populo, hoc est, a cognatis suis, decimas repetendi ius habere, quanquam hi non minus, quam ipsi, ab Abrahamo genus deducant.

6. Hic

6. Hic autem, e Leuitarum stirpe non ortus, et decimas ab Abrahamo accepit, et eundem bonis votis prosecutus est, qui iam excellentissimas a Deo promises acceperat. 7. Haud dubie autem *non major a minori, sed minor a maiori bonis votis atque ominibus impertiri solet.* 8. Porro hic mortales homines decimas accipiunt; illic aliquis, de cuius morte libri sacri nihil commemorant. 9. Quin, ut ita dicam, per Abrahamum ipse etiam Leui, qui *alias a popularibus decimas repetit, has dedisse censendus est,* 10. propterea, quod in *Abrahamo, generis auctore, tum, quum huic Melchisedecus occurrebat, veluti fructus in semine, adhuc delitescebat.*

11. Si igitur in sacerdotio Leuitico, (quo sane, tanquam fundamento et lege primaria res publica Israëlitica nitebatur) perfecti aliquid fuisset; quid opus erat, aliud sacerdotem excitare, qui non cum Aarone, sed cum Melchisedeco compararetur? 12. Sublato autem sacerdotio et ipsam reipublicae sacrae formam mutari necesse est. 13. Iam is, de quo citatus supra de Melchisedeco locus agit, alia de stirpe natus est, ex qua nemo unquam rem diuinam fecit. 14. Constat enim, Dominum nostrum e Iudeae familia ortum esse, cui nihil de sacerdotio Moses praecepit. 15. Tota porro res clarior fit inde, quod alias sacerdos excitandus fuit, qui Melchisedeci esset similis, 16. nec ad legis, aliquando abrogandae, normam, sed propter insitam sibi vim immortalitatis hanc dignitatem consequeretur; 17. iubente ipso Deo, „eum aeternum esse sacerdotem, ad formulam Melchisedeci.“ 18. Lex enim vetus, *illo in loco Psalmi abroganda fore dicitur ideo, quod nullius amplius auctoritatis atque usus est.* 19. Nemini

Nemini quippe perfectam salutem ista lex poterat tribuere; sola id potest melioris spei inducio, qua ad Deum nobis licet accedere. 20. Iam porro, quoniam interposito iureiurando facta est haec iuratio; (21. Aaronitici enim illi sine iureiurando flunt, noster autem hic cum iureiurando, alloquente ipsum vate, qui, „irreucabili prorsus iureiurando confirmasse Dominum, aiebat, hunc ad formulam Melchisedeci aeternum sacerdotem fore“) 22. insignioris Iesum foederis interpretem esse, colligitur. 23. Praeterea veteres illi sacerdotes numero plures sunt, quia morte impediuntur, quo minus perpetuo maneant; 24. hic autem, quem aeternus sit, successorem sacerdotii nunquam habet. 25. Unde et in perpetuum felicissimos potest reddere, quotquot per ipsum adiutum ad Deum quaerunt, ipse quippe aeternus et eorum caussam apud illum actuatus. 26. Ac talem quoque profecto decebat esse summum sacerdotem nostrum, hoc est, sanctum, sincerum, purum, a sceleratis longe alienissimum, ac tandem supra humana omnia ac caelestia euctum, 27. non opus habentem denique, sicut mortales illos pontifices, quotidianas, pro suis primis, ac tum demum pro populi delictis, victimas offerre; hoc enim nonnisi semel, seipso offerendo, fecit, 28. Ita profecto est; lex Mosaica infirmos homines sacerdotes summos designat; iuriandum autem diuinum, longo post Mosen tempore factum, filium Dei, eundemque aeternum ac perfectissimum.

## CAP. VIII.

1. Caput autem rei, praeter ea quae iam dicta sunt, est hoc, quod eum habemus sacerdotem, qui, parem cum Deo potestatem nactus, solium maiestatis

iestatis in caelis occupavit, 2. in vero illo adyto  
ac tentorio sacra faciens, quod non humanae ma-  
nus struxerunt, sed Deus ipse fixit. 3. Quum ergo  
quilibet sacerdos ideo constituantur, ut dona et sacri-  
ficia offerat; sane et hunc habere, quod offerat,  
necessere est. 4. Ac si in terris adhuc esset, ne pos-  
set quidem sacerdotio fungi, quum ibi iam sint, qui  
e legis formulâ rem dininam faciant. 5. Atque  
hi quidem quae faciunt, ea non nisi exemplum et  
vmbra sunt rerum caelestium; (sicuti Moses, ta-  
bernaculum sacrum fixurus, id ad exemplum, in  
monte sibi monstratum, figere abs Deo iussus est;) 6.  
ille autem tanto praestantiori munere fungitur,  
quanto praestantioris est foederis interpres, quod  
maiorum bonorum promissione ac spe sanciebatur.  
7. Si enim prius illud foedus perfectum fuisset et  
immutabile, non sane alteri faciendo fuisset locus.  
8. Nunc Deus Israelitis priscis, foedere sibi iun-  
ctis, haec exprobat: „Erit aliquando tempus, quo  
cum Iudeis pariter et Israëlitis nouum plane foedus  
pangam, 9. dissimillimum quidem illud ei, quod  
cum ipsorum maioribus tum pepigi, quum veluti  
manu prehensos, Aegypto eduxi. Quum enim pa-  
ctis conditionibus non satisfecissent, ne ego ipse  
quidem stare iisdem poteram. 10. Id autem foe-  
dus, cum eorum posteris posthac pangendum, erit  
huiusmodi, ut leges meas eorum mentibus infi-  
gam, iussa animis insculpam, quo ipsi me ut su-  
um Déum colant, ego vicissim illos, ut populum  
meum, amem. 11. Ac tum quidem tantam  
mei ad unum omnes habebunt scientiam, ut nemo  
eorum opus habeat ab altero rerum divinarum co-  
gnitionem edoceri, aut ad cognoscendum Déum  
impelli; sed omnes ac singuli me nōrint; 12. ego  
autem delictis eorum ignoscam nec scelerum admis-  
sorum

sorum et iniuriarum vilam amplius mentionem iniiciam.“ 15. Quum de nouo foedere loquitur, hoc ipso, prius illud vetus esse, declarat; quidquid autem vetus declaratur, adeoque incipit *veluti*; a nescere, ad interitum vergat necesse est,

## CAP. IX.

1. Habuit quidem et prior illa religionis formula statos ritus suos, ac templum quoddam terrestre; 2. cuius in parte exteriori, quae sancta appellabatur, erat candelabrum et mensa panibus sacris exponendis; 3. in interiori, quam sanctissimam vocant, post velum interius 4. thuribulum aureum et arca sacra, auro vnde obducta; in qua diota aurea, mannam continens, virga Aaronis viridans, et legis tabulae cernebantur. 5. Cherubini magno cum splendore insidentibus, qui operculum *alis suis* obumbrarent; de quibus singulis iam non vacat dicere. 6. His autem ita ibi constitutis, quum in anteriorem illam tabernaculi partem assidue ingrediantur sacerdotes ad sacra facienda, 7. in alteram autem illam solus pontifex maximus, nec nisi uno ciuisque anni die, neque sine sanguine, pro suis ac populi peccatis offerendo; 8. haud dubie per haec admonere nos Spiritus diuinus voluit, stante adhuc priori tabernaculo, nondum patere aditum ad loca, omnium sanctissima; 9. (nam in illo esse modo adumbrationem quandam aliarum rerum, usque ad haec ipsa tempora duraturam, quibus sacrificia et victimas adhuc offerantur, quae offerentis animum penitus tranquillare non possunt, 10. quum nonnisi in cibis, potu, lotionibus variis, et aliis eiusmodi ritibus externis, usque ad meliora tem-

pora

pora, versentur,) 11. sed Christum demum, vere summum sacerdotem, ac bonorum futurorum datorē aduenisse, qui maius quoddam ac perfectius tabernaculum, nec humanā manu factum, aut terrenā materiā exstructum, ingressus, 12. neque hircorum et vitulorum, sed suum ipsius sanguinem offerens, conciliatā nobis in perpetuum delictorum veniā, in adytum illud sanctissimum, *hoc est caelum*, penetrauerit. *Neque id mirum.* 13. Nam si taurorum et hircorum sanguis, cinisque iuuenciae, pollutis adspersus, corporis quandam sanctitatem his tribuit; 14. quanto magis Christi sanguis, per naturam suam diuinam Deo victimam se offerentis lectissimam, animos nostros a scelerum sordibus purgabit, ut iam inde vero Deo cultum verum prae-stare possimus?

15. Atque ideo quoque noui cuiusdam foederis idem auctor est atque interpres, vt, quum pro expiandis delictis, sub priori foedere commissis, mors ipsius cruenta intercesserit, iam omnes, quibus aeternae felicitatis hereditas promissa est, eam con-sequi facile possint. 16. Vbi enim testamentum est, ibi necesse est, mortem testatoris intercedere, 17. quum mortuo demum illo firmum sit, viuo nondum valeat. 18. Vnde et prius illud foedus victimarum sanguine ac morte sancitum est. 19. Post quam enim Moses omnia legis paecepta populo vniuerso iussu diuino, paelegerat, sumto vitulino atque hircino sanguine, itemque hyssopo, lanā rubrā reuincto, nec non ipso legis libro, populum omnem his verbis respersit: 20. „Hic sanguis est, quo foedus vobiscum sancire me Deus iussit.“ 21. Quo facto etiam tabernaculum ipsum, et sacra eius vasa omnia similiter illo sanguine respersit;

22. omni-

22. omninoque è legis praecepto paene omnia eodem purgantur, nec sine eius effusione *in sacris Leuiticis villa delictorum remissio solet contingere.*

23. Hinc ergo cogitur, *terrenas quidem rerum caelestium imagines his sacrificiis purgari posse; res autem caelestes ipsas opus habere multo melioribus.*  
 24. Neque enim humana adytā, verorum nonnisi simulacra, Christus ingressus est, sed cælum ipsum, vt se Deo pro nobis sisteret; 25. neque sic, vt saepius se offerret, veluti pontifex maximus quotannis, adytum ingressus, alienum sanguinem offert;  
 26. (alioquin a condito inde mundo cruciatus eum subire oportuisset) sed semel tantum, idque hoc Novi Foederis tempore, ad expianda sclera, sacrificio suo inclinavit. 27. Et quemadmodum singulis hominibus semel moriendum, ac deinde coram iudicio diuino comparendum est, 28. ita Christus, semel pro multorum delictis immolatus, *in cælum rediit, atque inde profectus iterum apparebit, non, vt a delictis iterum liberet, sed, vt eos, qui ipsum exspectant, aeternum felices reddat.*

## CAP. X.

1. Lex enim *Mosaica*, nonnisi umbram habens futurorum bonorum, non ipsam rerum veritatem, iisdem quotannis sacrificiis sine intermissione offendis, non potest ad eos, qui illa offerunt, tranquillanos satis valere; 2. alioqui desissent aliquando offerri, si cultores Dei, semel expiati, culpae admissae conscientiā turbati amplius non fuissent,  
 3. quum nunc contra de eādem quotannis admonentur. 4. Taurorum enim et hircorum sanguis, (*vti iam dixi*) culpam, delicto contractam tollere nullο

nullo modo potest. 5. Itaque aduentum suum orbi terrarum denuncians, hunc in modum ille *patrem* alloquitur: „Sacrificia et libationes tu minime desideras, sed humano me corpore induisti; 6. Quumque tibi nec holocausta, nec victimae placeant; 7. en! ego adsum, o Dens, (vt in libris sacris de me praedictum exstat) facturus, quae me insseris.“ 8. Quum prius negasset, „Deum sacrificiis, libationibus, holocaustis, ac victimis delectari,“ (quae tamen e legis *Mosaicae* praescripto offerri solent) 9. subiicendo statim, „se adesse, vt eius voluntati satisfaceret, superioribus illis sublatiss, alteri hunc locum facit. 10. Quo sane mandato diuino per mactatam semel corporis Iesu Christi victimam veniam delictorum consecuti sumus.

11. Quum porro omnes *reliqui* sacerdotes, quotidie stando sacra facere soleant, cundem actum reperentes identidem, qui nullo modo potest culpam tollere; 12. hic contra, vno pro delictis nostris oblato sacrificio, in solio patris perpetuo residet, 13. exspectans iam hinc, donec, quidquid hostium est, debellatum ipsi subiiciatur. 14. Vno enim *illo* sacrificio, quoscunque redemit, in aeternum beatissimos reddidit. 15. Quod ipsum de eo *Spiritus* diuinus *apud* *vatem* denunciat. Nam post verba illa: 16. „Hoc erit foedus meum cum illis recentius, vt Legis meae praecepta eorum animis insculpam, mentibus infigam“ 17. *subiungit Dominus haec:* Scelera illorum et iniurias, mihi illatas, plane obliuiscar.“ 18. Vbi autem delicta obliuioni sunt tradita, ibi nec sacrificio amplius ad ea expianda opus est.

19. 20. Quum igitur, o carissimi, fiduciam habere nosvis liceat ad ingredienda quasi per velum, hoc

hoc est cruentam corporis Iesu mortem templi *cael*  
*lestis* adyta, (quam ille nouam, et ad vitam du-  
centem, viam nobis ipse munivit) 21. habeamus  
praeterea magnum sacerdotem, familiae Dei vniuersae  
*praefectum*; 22. sincerà, agite, mente, animo  
fiducia plenò, *intus* à delictorum conscientia  
purgati, 23. *extrinsecus* sacro fonte abluti, quid  
et quare speremus, confiteamur, (praesertim, quum,  
qui hanc spem sua promissione excitauit, idem sit  
longe fidelissimus,) 24. et incendere alius alium  
ad amorem mutuum et beneficentiam studeamus,  
25. neque sacris nostris conuentibus, *vbi huius be-*  
*neficentiae occasio est*, nos subtrahamus, quod fa-  
cere quidam solent; imo alios, *vt hos frequentent*,  
hortemur; idque tanto magis, quanto proprius finem  
*vestrae* abesse *reipublicae* videtis. 26. Si enim ab  
agnita semel veritate datà operà desciuerimus, nul-  
la amplius pro expiandis sceleribus nostris victima  
superest; 27. sed poena potius *Dei* seuerissima,  
iraque feruor, inimicos absunturus, erit exspe-  
ctandus. 28. Si, qui Mosaicam legem violauit, pro-  
pter duorum aut trium testium auctoritatem, sine  
remissione illa interficitur; 29. quanto atrociori  
poenà dignum, putatis, habitum iri eum, qui Dei  
filium *quasi* pedibus conculcit, qui cruentam mor-  
tem, quâ ipse expiatus est, profanam ac vulgarem  
iudicet, qui denique gratuitas Spiritùs diuini dotes  
parni pendat? 30. Constat inter omnes, *quantus*  
*sit is*, qui, „sibi ius vindictæ esse, se iniurias vl-  
turum, quin vel a suo populo, *si* *deliquerit*, poe-  
nas repetiturum“ minatus est; 31. et quam horren-  
dum sit, in manus Dei vindicis incidere!

32. Recordamini, queso, superiorum tempo-  
rum, quibus ad religionem Iesu adducti, cum tot

ac

ac tantis malis conflictabamini, 33. vt nunc variis vexaremini contumeliis et calamitatibus, nunc aliorum pariter vexatorum vicem doleretis. 34. Nam et mea vincula miserabamini, et bonorum, vobis ereptorum, iacturam, laeto animo ferebas, quum meliora, eademque aeterna, in caelo vobis reposita esse, non ignoraretis. 35. Ne igitur, queso, *nunc demum fiduciam istam abiicite*, cui tam insigne praemium propositum esse constet. 36. Paululum modo patientiae a vobis requiritur, si diuinae voluntati obsequi, et bonorum promissorum fieri vultis participes. 37. Perbreue enim tempus superest, donec poenas à gente vestrâ *Messias* repeatat, neque is diu morabitur. 38. Qui autem recti *tum* sibi fuerit conscientia, fiduciâ suâ seruabitur, quum contra, qui metu se subtraxerit, eum ego probare nullo modo possim. 39. Nos quidem nobis non fugâ ignauâ perniciem contrahere, sed firma animi fiduciâ salutem quaerere decrevimus.

## CAP. XI.

1. Est autem *haec fiducia nihil aliud, nisi firma exspectatio bonorum speratorum*, ac de absentibus certa animi persuasio, 2. qua ipsa maiores nostri maxime celebrati sunt. 3. Hac impulsi, certo scimus, mundum diuinâ potentia conditum esse, ita, vt e nihilo, quidquid cernimus, exsisteret. 4. Hac Abelus maiorem melioremque, quam Cainus, Deo victimam obtulit; propter hanc Deus, probari sibi eius sacrificium, significauit; propter hanc denique mortuus adhuc celebratur. 5. Propter eandem Henothus e vitâ sublatus est sic, vt mortis acerbitas minime sentiret, ideoque inter caeteros desideratus est, quod eum Deus ipse sustulerat. Nam,  
ante-

antequam hoc fieret, Deo iam memoratur placuisse;  
 6. cui tamen sine *hac* fiducia nulo modo placere quisquam potest. Accessuri enim ad hunc debent credere, non modo, eum esse, verum et ipsum quaerentibus iusta aliquando praemia persoluntur. 7. Hac fiduciâ de malis impendentibus certior factus Noachus, reuerentiâ *diuinâ imperii*, nanem, servandae familiae suae causâ, contexuit, qua non minus aequales suos fecit damnabiles, quam præmia, fiduciae suae a deo posita, consecutus est. 8. Hac fiduciâ Abrahamus iubenti Deo in terram, ipsi destinatam, proficiisci, paruit, eamque, licet adhuc sibi incognitam, ingressus est; 9. nec minus eandem, tanquam nihil ad se pertinentem, incoluit sub pellibus habitans cum Isaaco et Iacobo eiusdem promissionis heredibus. 10. Sperabat enim aliam post *hanc vitam*, eamque firmorem habitandi sedem, cuius Deus ipse artifex et conditor esset futurus. 11. Propter eandem fiduciam Sara et ipsa, posteritatis habendae spem certam consecuta, praeteractatem peperit, quod eum, qui id promisisset, promissis certò statim, crediderat. 12. Vnde et ab uno corpore, eoque effoeto, posteri descenderunt, qui non magis, quam astra caeli et arena littoris, numerari possent. 13. Atque hi quidem pleni fiduciâ mortui sunt omnes; nondum enim rem promissam acceperant, sed eminus visam laeto animo sperabant, *hacque ipsa latitudo* se in his terris non nisi peregrinari, profitebantur. 14. Quae quicunque dicunt, verae suae patriae desiderio se ferri, innuant. 15. Quod si per hanc intelligebant terrenam illam, quam reliquerant, nihil eos impediebat, quo minus eo reuerterentur. 16. Nunc meliorem, hoc est, caelestem appetebant. Vnde ne Deum ipsum quidem puduit, se horum Deum appellare, quia aliam quasi ciuitatem ipsi condi-

condiderat. 17. Hac porro fiduciâ Abrahamus, *abs Deo tentatus*, Isaacum obtulit, *vnicumque filium immolare volebat* is, qui tamen promissum, 18. *disertis verbis acceperat*, „*fore, ut hic unus celeberrimam illius stirpem redderet.*“ 19. Colligebat enim, vel mortuos abs Deo in vitam renocari posse; vnde praeter opinionem quoque eum recepit, 20. Eâdem fiduciâ Isaacus Iacobo et Esano, *filiis*, bona plura promisit. 21. Eâdem Iacobus moriens vtrunque *nepotem Iosephi filios*, de bonis promissis securos esse iussit, eoque facto, in lectum se reclinavit. 22. Eâdem denique Iosephus, ante quam obiret, et emigrationem Israëlitarum *ex Aegypto* praedixit, et de ossibus suis, *inde simul efferendis*, praecepit. 23. Solâ hac fiducia inducti Mosis parentes eum, in lucem editum, quod venustâ esse facie infantem videbant, per trimestre spatiū abscondiderunt, nec seuerum regis edictum exhorruerunt. 24. Hac fiduciâ ipse adulitus noluit amplius Pharaonis e filia nepos haberi; 25. imo in societatem calamitatum cum populo sancto venire, quam per tempus breve scelestâ voluptate frui, maluit, 26. satius existimans, contemni, *vti postea Christo accidit*, quam omnibus Aegyptiorum diuitiis affluere, quod praemia *futura* intruebatur. 27. Hac fiduciâ ipsum adeo hoc regnum *cum populo oniuerso* reliquit, nihil regis iram verius, sed, tanquam oculis haud adspectabilem *Deum* cerneret, in malis perdurans. 28. Hac fiducia agnum festum mactauit, eiusque sanguinem *foribus* affudit, ne, quae primogenitis nocebat, pernicias populares suos pariter tangeret. 29. Hac fiduciâ *hi quoque per mare rubrum*, veluti per continentem, transiere; quod quum Aegyptii pariter essent ausi, fluctibus demergebantur. 30. Hac efecerunt, *vt quum per septem dies Hierichuntem*

cir-

circuisserunt, huius moenia collaborerentur. 31. Hac Rahab, cauponatrix, quae speculatores sine fraude suscepserat, caeterorum, qui credere noluerant, perniciem effugit. 32. Quid multa? Tempis me deficiat, si de singulis, Gideone, v. c. Baraco, Simione, Iephtha, Davide, Samuele <sup>caeterisque</sup> vatis narrationem ingrediar, 33. qui, huius fiduciae ope, regna deuicerunt, ius ac iustitiam cum laude, administrarunt, oracula, promissiones continentia, *aliis tradenda*, acceperunt, apertos leonum rictus obturarunt, 34. hammarum, *in ipsos furentium*, vim extinxerunt, ferri aciem effugerunt, amissas morbis vires receperunt, fortes bello fuerunt, et externorum hostium exercitus in fugam coniecerunt. 35. Mulieres adeo suos, iam mortuos, in vitam receperunt. Alii, detrectata liberatione, occidi se passi sunt, ut ad meliorem olim vitam reuocarentur. 36. Alii illusiones et verbera, vincula et carcерem sunt experti, 37. lapidati, dissecati, vexati, capite plexi interierunt; egeni, afflicti, pressi vndique, ouinis et caprinis pellibus induiti circumie-  
runt; 38. (neque enim dignum erat impium saeculum, quod eorum consuetudine frueretur,) per solitudines *denique*, montes, speluncas, ac terrae fissuras vagati sunt. 39. Atque hi vniuersi, quamquam de eorum fiduciā inter omnes constat, nondum tamē praemia, sibi promissa, *in hac vita* sunt consecuti, 40. curante scilicet Dei, nobis fa-  
ventis, prouidentiā, ne sine nobis tot beatorum numerus plenus esse posset.

## CAP. XII.

1. Quapropter nos quoque, tanta veritatis te-  
stium *veluti* nube circumfusi, abieciā non minus  
super-

superbiae sarcinā, quam reliquā vitiorum tam facile nobis adhaerentium, colluui, certaminis, nobis propositi, cursum fortiter teneamus, 2. intuentes in exemplum Iesu, salutis nostrae et auctoris et conséruatoris, qui, quum proposita sibi in posterum praemia laetissima praeuideret, contemtā ignominia, non verebatur crucis subire supplicium, idem vero et postea ad maiestatem dininam enectus est. 3. Cum hoc, qui tot ab impiis hominibus aduersa expertus est, vos, quaeso, comparete, ne, debilitato animi robore, deficiatis. 4. Nondum quidem sanguine vestra aduersus impietatem pugna vobis constitit; 5. et tamen obliti iam estis admonitionis illius, quae vobis quoque, vt filiis, scripta est: „Ne parui pende, quaeso, mi fili, disciplinam Domini, neque animum desponde, quando hic te vult corrigere. 6. Quemcunque enim ille amat, eundem senera disciplina cohibet, et, vt quisque ei carior est filius, ita eum severius castigare solet.“ 7. Si igitur ab eo castigamini, sane vos, vti filios abs Deo tractari, liquet. Quem enim filium parens non castigat? 8. Sin hoc ille in vobis non facit, quod tamen omnibus alias facere filiis solet; spurios sane vos esse, non filios, necesse est. 9. Si porro disciplinam terrenorum patrum nostrorum experti, eos verebamus; nonne multo magis, salutis nostrae causa, caelesti nostro patri nos subiliciemus? 10. Illi enim, paucos per annos pro sui quisque ingenii modulo nos in disciplina continebant; hic autem ita, vt nobis vere proposit, nosque ipsius sanctitatem imitari possimus. 11. Atque omnem quidem omnino disciplinam, constat, quam diu sentiatur, mi-

R r

nime

nime iucundam, sed molestam et grauem videri,  
postea vero in iis, quos exercuerit, saluberrimos  
virtutum fructus edere.

12. Itaque lassas manus et fracta genua erigite,  
13. rectosque pedibus vestris gressus molimini, ne,  
quidquid fortassis adhuc claudicat. plane luxetur,  
sed potius conualescat. 14. Concordiae studete  
cum omnibus, et sanctitati, sine qua ad Christum Dominum minime peruenitur; 15. cauenses, ne quis fauore diuino excidat, nec seditionis  
aliquis, velut amara quaedam radix, propulleret, turbarumque studio plures alios inficiat;  
16. ne quis impurus aut profanus sit inter vos,  
qualis olim erat Esauus, qui unum ferculum iuxta  
primorum natalium ausus est redimere. 17. Hunc  
enim postea, scitis, quem vellet piarum patris  
precum fieri particeps, reiectum fuisse, neque ab  
eo mutationem consili, quamvis cum lacrymis  
quaesitam, impetrare potuisse.

18. Vos quidem non iam statis ad montem illum, ab ipso Deo contrectatum, flammis incensum,  
nubibusque, caligine, et procella formidolosissimum;  
19. tonitribus atque ea voce personantem,  
quam qui semel audierant, ne amplius audirent,  
deprecabantur, 20. (nam fere intolerabile ipsis erat  
interdictum illud: „Si quavel bestia ad montem  
accessisset, eam saxo aut telo interfectum iri,“ 21.  
ac tam terribilis erat illa species, ut ipse adeo Mo-  
ses, toto se corpore, non diffiteretur, contremisi-  
scere,) 22. sed accessistis ad Sionem montem at-  
que

que urbem, Dei O. M. regiam, ad Hierosolyma illa caelestia, ad angelorum myriades, 25. ad coctum atque concilium ciuitati caelesti primitus adscriptorum, ad animas piorum, summa nunc felicitate fruentium, ad Deum, omnium indicem, 24. ad Iesum, noui foederis interpretem, ad sanguinem denique illum, quo conspersi, fauentiore habetis Deum, quam, si Abeli sanguis diuinam aduersus vos vindictam exposceret.

25. Cauete igitur, ne loquenterem ad vos *Deum* repudietis. Si enim illi, qui eum, in terra ipsos alloquenterem, audire noluerant, poenitentia hand posuerunt effugere; quanto minus nos, si de cælo nos per *Iesum* alloquenterem, spreuerimus? 26. Cuius cum olim vox terram tremefecit, tum de hoc tempore promissum habemus, quo, „semel adhuc non terram modo, verum etiam caelum ipsum se concussurum,” dixit. 27. Vbi illa verba: „semel adhuc” indicium faciunt, ea, quae concussa iam sint, propter insirmitatem remouenda esse, ut locum nunquam removendis, ideoque perpetuo duraturis, faciant. 28. Quum igitur nos huius reipublicæ, nunquam in posterum tollenda, cives simus, gratiam Deo habeamus, tanti beneficii caussâ, eiusque ope ipsum, ex eius praescripto, cum cautione summâ ac reuerentia colamus. 29. *Alioquin enim ipsius, non secus, ac flammæ saeuientis, vim et vehementiam experiemur.*

### CAP. XIII.

1. Pergite igitur amare vos inuicem, 2. nec hospitalitatis obliuiscimini, qua vsi nonnulli, ange-

R r 2

los

los adeo insciū hospitio exceperant. 3. Recordamini eos, qui vinculis propter religionem detinentur, tanquam et ipsi fortunam eandem subeatis; et aliis maiis pressos, quum necdum ipsi sciatis, quid serus vesper aduehat. 4. Matrimonium ab omnibus in honore, et lectus coniugalis intemeratus habeatur; scortatores certè et adulteros Deus vlcisetur. 5. Contenti fortunis praesentibus, auaritiae ne indulgete, quum ipse Deus, „se nos nec neglecturum unquam, nec deserturum“ promiserit. 6. Vnde audacter cum Davide gloriari nobis licet: „Deus mihi opem quum ferat, quem timeam, quaeso, aut, quid, alii mihi obsuerint?“ 7. Inprimis doctorum vestrorum, qui divinam vobis doctrinam tradiderunt, exempla cogitate; quorum vitae exitum considerantes, fidem et constantiam imitamini. 8. Nunquam enim Iesus Christus, eiusue doctrina mutatur, sed eadem in aeternum manebit. 9. Vnde nec vos doctrinarum varietate et novitate sinite in transversum rapi. Longe melius enim certa fauoris diuini spe animus confirmatur, quam seruando ciborum discrimine; quae diligentia his, qui eam adhibuerunt, parum certe profuit. 10. Nos quidem aram habemus, ex qua nemini sacerdotum vesci licet. 11. Nam sicut eorum animalium corpora, quorum sanguis, expiandorum delictorum caussa, per summum pontificem in adyta infertur, extra castra comburuntur; 12. ita et Iesus, ut populum cruenta morte expiaret, extra urbis portas immolatus est. 13. Quapropter et nos ex illis veluti castris, Iudaico errore plenis, ad illum egrediamur, ut contumelias, propter ipsum ferendas, aequo suscipiamus animo;

14. prae-

14. praeſertim quum ne fixam quidem in terris ha-  
beamus sedem, verum in futura demum vita quae-  
ramus. 15. Huius itaque sacrificio freti, pariter  
Deo perpetua laudis sacrificia, hoc est, linguam,  
virtutes eius diuinias, canentem, offeramus. 16. Ne-  
que vero liberalitatis ac beneficentiae obliuisci vos  
velim, quod et ipsum sacrificii genus est, ac Deo  
inprimis placet.

17. Doctoribus vestris obedientiam, quaeso, p̄rae-  
ſtate, et honorem habete, quum pro animorum ve-  
ſtrorum salute excubent, rationem adeo de iis red-  
dituri; vt laeto id potius animo, quam tristi, faciant;  
quod vobis profecto sic non esset abiturum. 18. Pro  
me, velim, Deum deprecemini, qui etsi nihil mihi  
mali sum conscius, sed optima quaeque in rebus  
omnibus consilia sequor; 19. tamē ideo potissi-  
mum hoc facere vos volo, vt quamprimum vobis  
restituar.

20. Deus autem O. M. qui summum illum gre-  
gis sui pastorem, aeterni foederis, per sanguinem  
suum sanciti, auctorem factum, *hoc est*, Dominum  
nostrum, Iesum, e morte in vitam reuocauit; 21.  
is igitur ad omne virtutum genus aptos vos et ha-  
biles reddat, vt iussis eius parere possitis; et, quid-  
quid ei placet, id ipse in vobis efficiat, propter Ie-  
sum Christum, cui aeterna laus debetur. Amen!

22. Vos autem rogo, o carissimi, ne admonitio-  
nes meas impatientius suscipiatis, quum, *pro rei*  
*quidem grauitate*, satis breuiter vobis scripserim.  
23. Timotheum nostrum, scitote, vinculis libera-

tum

630 EP. PAVL. AD HEBR. CAP. XIII. v. 24.

tum esse, quo vsus comite, si satis cito adfuerit,  
me vos, spero, visurum esse.

24. Vestros doctores omnes, vt et Christianos  
reliquos singulos meo nomine salutate. Vos quidem  
Christiani, qui in Italia sunt, pariter salutant. 25.

Fauor Dei O. M. vobis omnibus contingat! Amen!  
*Valete!*

EPI.

---

# EPISTOLAE CATHOLICAE.

---

## EPISTOLA IACOBI.

---

### CAP. I.

1. Iacobus, Dei ac Domini, Iesu Christi, minister,  
duodecim tribubus, extra Palaestinam degentibus,  
salutem plurimam!

2. Magnam, o carissimi, laetandi materiam con-  
tigisse vobis existimetis, velim, si in varias cala-  
mitates incideritis, 3. quum probe sciatis, hac ve-  
stre in Deum fiduciae exploratione patientiam gi-  
gni, 4. quae sane numeris omnibus absoluta esse  
debet, vt ipsi integri ac sinceri sitis, neque illa  
virtute careatis. 5. Quod si quis *hec sapientiae ge-*  
*nere minus se valere sentiat, is eam abs Deo petat,*  
qui

qui omnibus affatim *bonorum* largitur, neque id exprobrare cuiquam solet. Atque hunc illud ei, certo scio, daturum, 6. si modo animo fiducia pleno, nec dubitationibus perturbato petierit. Nam, qui dubitant, praeterquam, quod marinis fluctibus, a vento hoc illuc agitatis, sunt simillimi, 7. sequuntur abs Deo boni accepturos, frustra exspectant, 8. ac praeterea in omnibus factis suis et consiliis inaequalitatis et inconstantiae infamia laborant. 9. Quin potius, qui vere Christiani sunt, in ipsa humilitate externa dignitatem suam internam cum gaudio, 10. divites contra vilitatem suam *cum timore quodam* cogitent, quoniam non secus, ac flos graminis, perire solent. 11. Vix enim solis aestus ac venti vis exorta est; ecce! gramen illud exaruit, flos decidit, incundus viriusque aspectus euanuit. Plane ita, *inguam*, diuitium opes et consilia diffluent.

12. Longe feliciores contra sunt ii, qui calamitates patienter sustinent. Quid enim? posteaquam satis fuerint explorati, aeternae felicitatis praemium, quod Deus omnibus, vere ipsum amantibus, proposuit, consequentur. 13. Neque est, quod quisquam, qui in calamitatibus constitutus *peccet*, in Deum culpam coniiciat. Hic enim malis rebus nec ipse tentatur, neque alias tentare solet. 14. Imo sua quemque cupiditas ad peccandum trahit atque illectat. 15. Quae quum prano *veluti* semine concepit, malam actionem partu excludit; haec deinde, ex voto perpetrata, mortis aeternae mater fieri solet. 16. Omnino, ne erretis, o Christiani dilectissimi, 17. quidquid ubique boni munera et perfecti doni est, nonnisi caelitus a patre, salutis omnis fonte, profiscitur, in quem nulla mutatio,

ac

ac ne mutationis quidem vmbra, potest vñquam cader; 18. quiq[ue] pro liberrima in nos benignitate, doctrinæ salutaris ope, nos veluti denuo in lucem prodire iussit, vt primi essemus inter eos, quos pariter transmutare constituerat.

19. Operam igitur quisque *vestrūm* det, o carissimi, ut ad audiendam *hanc doctrinam* promptus, ad reprehendendam contra, aut indignationem adeo *aduersus Deum* conciendam, quam tardissimus reperiatur; 20. præsertim quum humana indignatio nunquam a Deo beneficij quidquam elicit. 21. Quapropter depositis omnibus animi sordibus, et quidquid vitiōse redundare in *animis vestris* solet, patiamini, eam his doctrinam inseri, quae in aeternum felices vos redditura est. 22. Neque vero, inani errore decepti, solis auribus eam percipite, sed factis quoque ipsis exprimit. 23. Quisquis enim illud modo facit, hoc neglit, recte comparatur cum viro, qui vultus sui formam in speculo obiter contemplatur, 24. statim autem eo facto, abit, et quam maculosum illum repererit, obliuiscitur. 25. Quisquis contra perfectam Christi legem, verae libertatis magistram, paulo diligentius intuetur, is, quum non obliuiosus auditor, sed sedulus boni executor eo ipso sit, hac disciplina aeternam felicitatem consequetur. 26. Si quis igitur *vestrum*, verbi caussa, religiosus esse sibi videatur, neque tamen linguam continere possit, imo huius abusum pro vero vsu perperam habeat, huius vana profecto habenda est religio. 27. Is demum castus et sincerus Dei, patris omnium, cultus est, si quis, verbi caussa viduarum ac pupillorum diligenter curram habeat, et ab impiorum se consortio immunem conseruet.

CAP.

## CAP. II.

1. Neque etiam, o carissimi, gloriosi Domini nostri, Iesu Christi, religio cum ambitionis studio debet a vobis coniungi. 2. Nam si quis, *verbi causa*, ad conuentum vestrum accesserit, aureum gestans annulum, ac splendida ueste indutus; simul autem ingrediatur alius egenus, sordide uestitus; 3. vosque illum, tam pretiose uestitum, comiter allocuti, vt honoratiorem locum occupet, rogetis; hunc contra, egenum, vel stare, vel sumnum, sub pedibus vestris assidere iubeatis; 4. profecto non satis bene rem iudicasse, sed pessimi potius iudices censendi essetis. 5. At nonne, (quaeso vos, o Christiani dilectissimi, vt me audiatis,) nonne Deus illos ipsos, fortunae quidem opibus egenos, sed fiducia, in eo reposita, diuites, de legit, quos regni, amantibus ipsum promissi, praemiis afficeret? 6. Ac vos adeo potuistis egenos contemnere? Nonne opulentí maxime sunt, qui vos opprimere student, et in ius rapinunt? 7. Nonne hi in illud honorificum Christi nomen, ex quo appellamini, maxime inuechuntur?

8. Rectissime igitur feceritis, si regiam illam legem, quae „alios homines a nobis non minus, quam nos ipsos, amari“ iubet, seruaueritis; 9. sin ambitioni locum detis, peccabitis, et a lege, vt scelerati, damnabimini. 10. Quisquis enim vel vnum legis praeceptum violat, is, quantumuis caetera seruauerit, tamen omnium reus est. 11. Qui enim adulteriis, idem caedibus interdixit. Si quis igitur, adulterio abstinenſ, caudem commiserit, legem manifeſte neglexit. 12. Vos igitur ita et loquimini, et agite, vt ei vos legi subesse, appareat, quae a poenitentia

nis immunes reddat. 13. Etenim quum asperrima in eos sit legis sententia, qui sunt erga alios asperri; tamen aduersus hanc sententiam per misericordiam diuinam defendimur.

14. Caeterum quid proderit, o carissimi, si quis religionis Christianae notitiam verbis iactet, sed factis eius placita minime exprimat? Num, eum nuda hac scientia salutem aeternam consecuturum, probabile est? 15. Si verobi caussa, Christiano aliqui, aut Christianae, non modo vestitu, verum etiam victu quotidiano valde indigentibus, 16. quodlibet felicitatis genus, vestiumque ac ciborum affatim optaueritis, nihil autem ipsi, ad has necessitates procurandas; in eos praesidii contuleritis; quid, quaequo, inde emolumenti ad ipsos redundabit? 17. Ita et sola Christianae religionis professio, nisi facta accesserint, per se est longe vanissima. 18. Tali homini merito dicat aliquis: „Tu verbis modo Christi doctrinam profiteris; at ego factis exprimo. Oportet itaque te istius professionis veritatem vita ipsa ostendere, quemadmodum ego meae veritatem meis factis ostendo. 19. Ait tu quidem, vnum modo abs te Deum statui; recte sane; sed et ipsi mali daemones eundem statuunt; neque tamen non simul contremiscunt.“

20. Quod si tu, qui erras tam turpiter, luculentius etiam vis, quam vana sit sine recte factis doctrinae salutaris professio, cognoscere; exemplis hoc te docebo. 21. Abrahami, gentis nostrae auctoris, religio, vnde, nisi e factis eius cognita est, postquam Isaacum filium arae immolandum admouerat? 22. Vides ergo utrumque, et religionis professionem, et facta, inde profecta, sibi iniucem profuisse;

23. ac

23. ac tum id ipsum contigisse, quod libri diuini narrant: „credidisse Deo Abrahamum ideoque iustum habitum, et amicum ab eo appellatum fuisse.“ 24. Videtisne igitur, e factis maxime, non modo ex professione religionis, iustitiam hominum iudicari? 25. Sic quoque Rahab, illa cauponatrix, unde veri Dei cultrix, nisi e facto, agnita est, postquam speculatores, hospitio exceptos, clam alia via dimiserat? 26. Quemadmodum igitur corpus sine spiritu, ita, qui religionem sine virtutibus profitetur, plane pro mortuo habendus est.

## CAP. III.

1. Sed nec multos vestrūm, o dilectissimí, doctores fieri velim, qnum vos non fugiat, quam gravis aliquando his ratio reddenda sit. 2. Ac nos omnes multifariam quotidie peccare, quis nescit? vt eum demum, qui ne verbo quidem peccet, virum esse absolutissimum, ac propterea totum quoque reliquum corpus in potestate habiturum, existimem. 3. Ecce! equorum ora frenis compescimus, vt nobis pareant, et sic totum eorum corpus, quocunque lubet, solemus ducere. 4. Ecce porro, naves tantae molis machinae, a tam duris ventis agitatae, quoconque rectoris voluntas flexerit, a paruo illo gubernaculo perducuntur. 5. Pariter et lingua humana, quanto minutius membrum est, tanto magis iactare se solet. Ah! quantillus saepe ignis quantas sylvas incendit! 6. Atqui hic ignis lingua est, mundi cuiusdam instar, malis plenissimi. Adeo haec vna est e membris nostris, quae et corpus reliquum omne corrumpit, et aetatis nostrae cursum seditionum incendiis replet, ipsa autem ab orco incenditur. 7. Omnibus enim bestiis, tum volatili-  
bus

bus, tum reptilibus, tum marinis ingenita ferocia,  
et nunc domatur hominum sollertia, et olim domi-  
ta semper fuit. 8. Linguam contra, malum illud  
coerteri nescium, veneno mortifero infectum, ne-  
mo hominum perdomare potest. 9. Hac et Deum,  
patrem omnium, laudamus, et hominibus, ad ima-  
ginem Dei conditis, diras imprecamur, 10. ita ut  
ex eodem ore et laudes et maledicta saepius exci-  
dant. Verum enim vero hoc minime sic fieri de-  
bet, o carissimi. 11. Num enim queso, ex eius-  
dem fontis cauerna dulces et amarae aquae simul  
effluunt? 12. Num porro, o mei, ficas oleas, vi-  
tis ficos solet ferre? Non magis profecto, quam  
idem fons salsas ac dulces aquas simul emitit.

13. Porro si quis vestrum sapientia et cognitio-  
ne alios vult antecellere, recte viuendo virtutes suas  
cum prudenti quadam lenitate ostendat; 14. sin  
acerba odia et rixas, mox erupturas, animo tegat,  
ne, queso, glorietur, ac veritati velut in faciem  
mentiatur. 15. Non enim profecto haec est sa-  
pientia, quae de caelo descendit, sed humana poti-  
tus, bruta, quin ab ipso malo daemone profecta.  
16. Vbicunque enim odia et rixae sunt, ibi turbae  
quoque et mala quaelibet grassantur. 17. Caelestis  
contra sapientia primum casta est, deinde pacis  
studiosa, modesta, facilis, misericordiae ac benefi-  
centiae plena, aequa et sincera. 18. Iis autem,  
qui concordiae student, propter hoc ipsum pacis stu-  
dium fructus longe vberrimus abs Deo reponitur.

## CAP. IV.

1. Vnde, queso, tot inter vos bella ac certami-  
na? Nonne hinc, quod voluptates intra corpus ve-  
strum

strum tumultuantur? 2. Concupisitis quidem multa, neque tamen assequimini; ad caedem vsque aemulamini, nec tamen quidquam efficitis; contenditis et pugnatis, neque tamen quidquam obtinetis, propterea, quod non precibus impetrare studetis. 3. Quin etiamsi precermini, nihil tamen accipitis, quoniam non recte, sed ideo potius bona petitis, vt accepta luxuriose consumatis.

4. An nescitis, o degeneres tam viri, quam foeminae qui terrenas res nimium ament, eos in Dei inimicitiam incurrere? Quisquis igitur illarum nimio studio tenetur, huius inimicus fiat, necesse est. 5. An falso scripsisse eum putatis, qui scripsit: „Qui nobis inest Spiritus diuinus, inuidentiae est infestissimus, 6. nos contra summis idem beneficiis afficit.“ Vnde alibi „superbis aduersari, modestis autem benignum se praebere Deus“ dicitur. 7. Quare et vos huic vos subiicie, malo autem daemoni resistite, vt vos fugiat. 8. Accedite ad Deum, vt hic vobis viciissim fiat propior. Puras sanguine manus seruat, quicunque sceleribus indulgetis, et puras mentes, quicunque inconstantem adhuc animum habetis! 9. Miseros vos agnoscite, lugete, plorate, risum cum lamentis, gaudium cum tristitia commutate. 10. Quod si Deo vos verè ita subieceritis, tum demum laetissimo ille vos solatio recreabit.

11. Ne, quaeso, vos iniucem criminamini, o mei. Qui enim hoc faciunt, et alios condemnant, legem dinam ipsam calumniantur et condemnant. Quod quidem si faciunt, non legi illi parent, sed iudicium in eam sibi arrogant. 12. Atqui vnuus tantum est legislator, qui et seruare potest et perdere. Nihil ad hunc sunt, qui alios criminantur,

13. Agite

13. Agite iam vos, qui hodie aut cras in hanc vel illam urbem proficiisci decrenisti, vt ibi per annos integros commorando et negotiando, lucri aliquid capiat, 14. et si ne cras quidem vos superfuturos, certo sciatis, (quid enim vita vestra, nisi fumus, est, breuissimo tempore in oculos incurrens, sed statim post evanescens?) 15. et, quum ita vobis cogitandum sit: „Si Deo ita visum fuerit, non modo viuemus, verum etiam hoc vel illud exsequemur!“ 16. inani potius fastu vestro gloriamini; *vultis scire, quid de vobis sentiam?* Vana et mala est omnis ista gloriatio. 17. Quisquis autem ad recte agendum satis institutus est, (*vt vos iam per me*) nec tamen recte agit, is magno se scelere non potest non obstringere.

CAP. V.

1. Vos vero, o diuites, iam hinc, propter imminentes vobis miseras fletus oportebit et lamenta edere, 2. quum diuitiae vestrae veluti putrescant, pretiosae vestes a vermis corrodentur, 3. aurea denique et argentea vasa rubigine consumantur, eaque tantâ, vt accusandi vestri materiam eo largior rem suppeditet, et poenae, de corporibus vestris sumenda, grauitatem angeat. Nam in ipsum extitii tempus opum vestrarum accumulatio incidit. 4. En! mercenarii, qui agros vestros demessuerunt, propter detractam ipsis per vos mercedem, apud Deum vos accusant; quin eorum clamores iam aures Domini huins potenterissimi subiertunt. 5. Quamdiu vixistis, deliciis et luxuriaie indulsistis, vosque ipsos, tanquam victimas, propediem immolandas, veluti saginastis. 6. Virum illum iustum, (*notis, quem innuam*) inique condemnatum, occidistis, quum

quum vobis ille non resisteret, sed iniuriam istam patienter ferret.

7. At vos reliqui, longe carissimi, poenam horum hominum a Deo patienter exspectate. Nonne enim agricolae quoque pretiosos terrae fructus, pariter exspectant, nec morae taedium sentiunt, donec pluvias auctumnales et vernas acceperint? 8. Itaque et vos, firmato patientia animo, exspectate, inquam, quum Dei poenae sceleratis iam impendeant. 9. Neque tamen mala vobis inuicem imprecari audete, ne et ipsi condemnemini, quia vindicta Dei iudicis est proxima. 10. Exemplum, quod in malis sustinendis, et patienter ferendis iniuriis imitemini, vates priscos vobis sumite, qui Dei nomine cum aequalibus suis egerunt. 11. Videte, quae sois, quam beatos praedicare soleamus, qui iniurias aequo animo tulerant! Hiobi patientiam nostis, quin Christi adeo, Domini nostri, exitum vidistis, quantae in nos misericordiae et benignitatis pignus fuerit.

12. Ante omnia, o dilectissimi, inculco vobis hoc, ut nunquam, neque per caelum, neque per terram, neque per aliam rem ullam iureti, sed simpliciter omnia affirmetis et negetis, ne in poenas diuinias irruatis.

13. Quod si quis vestrum lugendi caussas habeat, Dei auxilium imploret; sin laetandi, carminibus eius benignitatem celebret. 14. Si quis aegrotet, arcessitos ad se sacri coeli antistites roget, ut Deo pro ipso supplicant, ac caeterum, huius auxilio confisi, remedia solita adhibeant. 15. Quae preces profecto aegrotantem reficiant, ut Deus ipsum sanitati restituat, nec, si, forte mali quid ille ad miserit

miserit, huius rationem amplius habeat. 16. Confitemini etiam vobis inuicem, si quid deliqueritis, et preces pro vobis mutuo facite, ut morbi, inter vos grassantes, renoueantur: Longe plurimum enim apud Deum valent hominum piorum preces, cum vehementia quadam missae. 17. Sic, quam aliquando Elias, (nihil amplius ille, quam homo, quales nos quoque sumus,) paulo ardenter abs Deo petisset, ne pluia emitteret, per tres omnino annos cum dimidio caelum in Palaestina non pluit. 18. Idem, quam contrarium rursus petisset, tantum de caelo imbrium decidit, ut terra solitos rursum fructus gigneret.

19. Quod si *denique*, o carissimi, vestrum aliquis à Christianâ religione aberrauerit, et alius eum in rectam viam reduxerit; 20. sciat hic, se, reducendo ex erroribus illo scelerato, animum hominis ab interitu seruasse, et occasionem dedisse, vt ei omnia sua sclera remitterentur, *adeoque magna cius rei praemia abs Deo laturum.*

EPISTOLA PETRI  
PRIOR.

---

CAP. I.

1. Petrus, Iesu Christi legatus, Christianis extra Palaestinam in Ponto, Galatia, Cappadocia, Asia, et Bithynia versantibus, 2. qui, Dei patris decreto, fiducia, in Iesu Christi, cruenta morte reposita, Spiritus diuini ope, a delictis purgati sunt, fauorem diuinum et omne felicitatis genus precor!

3. 4. Summà profecto laude celebrandus est Deus O. M. idemque pater Domini nostri, Iesu Christi, quod pro immensà sua misericordiâ reuocando in vitam hoc suo filio, nos ad spem futurae vitae pulcherrimam, quae, hereditatis illibatae, incorruptae, et perpetuo manentis more, in caelo nobis asseruatur, *veluti* renasci iussit, 5. diuinaque sua vi per fiduciam in Christum dignos conseruat, ut hac, nobis parata felicitate potiri tandem possimus. 6. Vnde vobis, licet vario calamitatum genere, (vbi opus fuerit) paululum afflitis, tamen impense laetandum arbitror, 7. quoniam hoc pacto explorata fiduciae vestrae firmitas, non modo longe  
pretio-

pretiosior auro, per ignem quidem explorato, nihil secius tamen vanissimo, reperietur, verum etiam olim, quum Iesus Christus *de caelo* redierit, in vestram summam laudem, honorem et gloriam cessura est. 8. Hunc enim, etsi non vidistis, tamen, scio, amatis; et, quanquam ne nunc quidem videtis tamen eius fiduciae inenarrabili et insigni laetitia exsultatis, 9. finem quippe fiduciae huius ultimum, *hoc est*, felicitatem animorum sempiternam consequuti. 10. Qua de felicitate quum saepe multumque vates illi, qui Dei erga nos beneficia praedixerunt, meditarentur, 11. ut reperirent, quaenam tempora, aut quales horum periodos Spiritus Christi, tantas ipsis res subiiciens, innueret, quoties huius cum aerumnas, tum subsecutam post has gloriam praedicebat; 12. nihil tamen aliud responsi diuini retulerunt, nisi hoc, se non sibi, sed nobis praecinuisse tot ac tantas res, quot et quantae nunc vobis per viros, Spiritu diuinitus immisso excitatos, innotuerunt. Sunt autem eae eiusmodi, ut ipsas adeo naturas caelestes earum cognoscendarum cupiditas incesserit.

13. Vos igitur, animo semper *ad hinc emigrandum* parato, ac sobrio, neque tamen non cupido, exspectate felicitatem eam, quae vobis in reditu Iesu Christi *futuro* tam gratuito favore offertur, 14. filiosque morigeros vos praestate eatenus, ut, omnissa cupiditatum, pristinae ignorantiae vestrae testium, consecratione, 15. *Dei* sanctissimi exemplo, qui vos ad Christianam religionem adduxit, et ipsis vitae sanctitati per omnia studeatis, 16. praesertim, quum hanc eius vocem: „*Sancti estote, quoniam et ego ipse sanctus sum!*“ probe cognoveritis. 17. Et quum eum patrem iam veneremini, qui sine partium studio de cuiusque factis indi-

care solet, aequum sane est, vt, quantum adhuc temporis inter homines agendum vobis fuerit, magna illius cum reuerentia transigatis; 18. qui neutquam ignoretis, vos, non vili illo auri argenteue pretio a pristinae vitae, traditique per maiores moris leuitate liberatos; 19. sed potius pretiosissimo Christi, velut agni innocentissimi et sanctissimi, sanguine redemptos esse. 20. Qui etsi iam ante mundum conditum huic operi destinatus fuit, tamen hoc demum tempore homo factus est, idque vestra omnium causâ, 21. propter eum ipsum Deo, O. M. confidentiam, qui eum, in vitam revocatum, diuina maiestate induit, vt proinde de eius in vos voluntate securi essa, et optima quaeque sperare possitis.

22. Nec minus vero vos, velim, quia, recepta per Spiritus diuini opem salutari doctrinâ, animos vestros emendastis ita, vt iam sinceras in alios amor locum habere possit, mutua atque tenerima in vos innicem caritate ferri. 23. Neque enim mortali semine, sed immortali, hoc est, doctrina Dei efficacissima, eademque aeterna, velut ad aliam vitam renatos vos esse, constat. 24. Et quin aliqui omnes mortales foeno exarescenti, eorumque opes gramine marcescenti recte comparentur; 25. Dei contra O. M. doctrina aeternum manebit; quamnam autem alia, nisi illa ipsa, quam vos accepistis?

## CAP. II.

1. Deposita igitur peruersitate omni, fraude, simulatione, inuidentia et maledicentia, 2. recens natorum more infantium, purissimum illud animi lac sitiatis, quo nutriamini; 3. nisi forte Domini  
vestrû

*vestri* benignitatem gustu nondum percepistis. 4. Qui quum sit lapis quidam, isque viuuus ac pretiosissimus, ab hominibus quidem spretus, sed Deo probatissimus; 5. vos, qui ad eum vos applicuistis, ei ipsi iam, non secus ac vint lapides, coagmentari debetis, ad efficiendum caeleste quoddam aedificium; quin fieri *veluti* sanctissimum aliquod sacerdotum collegium, qui mysticas Deo victimas, propter Iesum Christum ei longe gratissimas, immoletis. 6. Vnde et haec *Dei* in libris sacris verba reperiuntur: „En ego Sione lapidem posui angularem, e multis delectum, pretiosum; quo quisquis innixus fuerit, minime spe sua is quidem frustrabitur.“ 7. Vobis ergo, qui tales estis, hic lapis admodum salutaris est; caeteris illis immorigeris, qui, *pariter ut* operari illi in *Psalmis*, eum reiecerunt, magnam is offenditionem, quin extremam adeo ruinam ac perniciem afferre solet; 8. quum tam salutarem doctrinam contemnant, et in ea ipsa re, quae ad eos *servandos* destinata erat, summam pertinaciam ostendant.

9. Vos contra, o selectissima gens, sacerdotes vere regii, populus sanctissimus, et ideo proprie *Deo* sacra natio, *ut* immensas admirandi salutis vestrae auctoris virtutes celebretis, 10. qui olim alieni a Deo, nunc ei carissimi, olim ei inuisi, nunc in primis accepti estis; 11. vos, *inquam*, o mei, tanquam aduenas ac peregre accitos, vehementer hortor, *ut* ne sensuum cupiditatibus indulgeatis, quae acerrimae animorum hostes habendae sunt, 12. inter homines autem, a Christo alienos, honestam vitam agatis, idque propterea, *ut*, quidquid illi maledictorum vobis et calumniarum ingesserint, tamen, instituta accuratius quaestione, et animad-

ver-

versis vestris virtutibus, vel inuiti Deum celebrare cogantur.

13. Itaque vos omnibus magistratibus, humanis, propter Deum, velim, subiiciatis, tum Imperatori, vt summo omnium, 14. tum praesidibus, qui ab eo vindicandorum scelerum et ornandarum virtutum caussâ mittuntur. 15. Hac enim maxime ratione, *hoc est*, recte faciendo, Deus a vobis stultorum hominum inscitiam ad silentium vult redigi. 16. Quum igitur non ita liberi sitis, vt impietati hanc libertatem licet praetendere, sed, vt tanto magis Deo O. M. seruiatis; 17. hinc quemlibet honore prosequimini, Christianos amate, Deum colite, Imperatorem reueremini.

18. Qui inter vos seruiunt, debitâ reuerentia dominis dicto audientes sint, nec mansuetis modo et lenibus, verum etiam morosis, 19. Hoc enim demum pulcherrimum est, si quis, recte factorum sibi conscientius, Dei caussâ molestias sustineat, atque iniurias perferat. 20. Nam quid inde, queso, laudis redeat, si quis verbora patienter sustineat, quae tamen malefactis meruerit? *Vnde profecto efficiatur, longe gratius Deo fore, si ipso recte agendi studio contractas vobis istas vexationes perferatis.*

21. Neque vero etiam aliis conditionibus, nisi his, ad veram religionem adducti estis, quum et Christus ipse, vestrâ caussâ pessime habitus, exemplum vobis, cuius vestigia imitando exprimeretis, reliquerit. 22. Qui quum nunquam, vel delictum vilium admisisset, vel verbum fraudulentum ore emisisset, 23. tamen, neque contumelias contumelias, nec iniuriis minas regessit, sed vnice *Deo*, iustis-

iustissimo, *caussam suam*, commendauit. 24. Hic ergo, cum nostra omnium sclera corpore suo in cruce expiauit, vt illis vitandis, iustitiam coleremus, tum *imprimis* vos suis illis vulneribus sanauit, 25. qui, tanquam ouium grec antea temere circumerrabatis, nunc vero ad hunc animorum vestrorum pæstorem et curatorem reducti estis atque seruati.

## C A P. III.

1. 2. Pariter vos, vxores, sua quaeque marito, pareatis, vt, si qui forte horum adhuc Christi doctrinam respuant, per vxorum virtutem, animadversa harum in Deum pietate atque castitate, vel ante, quam iis noua tradatur religio, ad eam amplexendam allicantur. 3. Itaque vos nec capillorum cincinnis, nec auri gestatione, nec vestium pretiosarum cultu ornanda vobis corpora arbitremini, 4. sed verum potius ornatum putetis esse in occulto mentis habitu, qui perpetua quadam animi mansuetudine et tranquillitate cernitur, qui etiam solus apud Deum in pretio esse solet. 5. Neque enim aliter sanctae olim illae ac Dei benignitate frætae mulieres sese ornarunt, nisi, vt *primum* mari-tis suis parerent, 6. (nam Sara, verbi *caussa*, genitris vestrae mater, ita Abrahamum reuerebatur, vt dominum suum appellaret,) deinde hospitales es-sent, denique nullis tyraniorum minis terreri se paterentur.

7. Vicissim vero et mariti cum vxoribus, vt in-firmiori sexu, conuersantes, moderate se gerant, iisque, tanquam pari olim cum ipsis felicitate per benignitatem diuinam fruituris, nonnihil indul-geant, ne precum vestrarum fructus apud Deum impediантur.

8. O-

8. Omnes denique omnino *debetis esse concordes*, misericordes, humani, benigni, et affabiles; 9. nec malum pro malo, conuicium pro conuicio, quin contra pias preces pro *imprecationibus reddere*; praesertim, quum sciatis, vobis, quum ad Christi sacra accedebatis, aeterna bona, tanquam hereditibus, *promissa esse*. 10. Nam qui vere vult vitam frui, atque hilariter tempus suum transigere, eum oportet linguam continere a conuiciis, et *maledictionem compescere*; 11. oportet vitando omni mali genere, bonum peragere, oportet denique concordiam summo studio sequi. 12. Non minus enim Dei O. M. fauor pios, quorum preces ab ipso audiuntur, benigne respicit, quam indignatio impios premere solet. 13. Et quis tandem vos laedat, si semper optima quaeque ad imitandum vobis proposueritis? 14. Ac si vel maxime propter recte facta vexemini, non potestis tamen villo modo infelices esse; vnde nec est, quod vos aduersariorum *vel minae terreat, vel vexationes perturbent*, 15. dum vnum Deum ac Dominum animo vestro reuereamini. Caeterum parati semper eritis ad rationem cum modestia ac mansuetudine reddendam quibuslibet, causas, quibus nitatur spes vestra, scire cupientibus, 16. maxime, si recte factorum vobis sitis consci; adeo, vt, quicunque vestram sanctitatem ac vere dignam Christo vitam calumniantur, in eo ipso, in quo maleficos vos putabant ostendisse, mendaces reperiantur. 17. Satius enim est, (*vt saepe iam dixi*) si ita Dei voluntas tulerit, recte, quam male factorum causâ, vexari.

18. Nam et Christus, quum semel pro delictis nostris cruciatus maximos, insons pro contibus, pertulisset, vt aditum ad Deum nobis rursus appetiret,

riret, et si corpore necem occubuerat, diuinę tamen  
mentis vi in vitam renocatus est. 19. Quam qui-  
dem, ad manes impiorum, carcere conclusos, pro-  
fectus, demonstrauit, 20. nominatim his, qui o-  
lim, Noachi aetate, contumaces se gesserant, qua  
Dei O. M. benignitas eorum emendationem patien-  
tissime exspectabat, donec nauis illa constructa es-  
set, qua pauci sane, hoc est, octo homines in vndis  
seruabantur. 21. Cui quidem conseruationi rec-  
tissime comparatur lauacrum illud sanctissimum,  
quo non tam corporum sordes abluuntur, quam vi-  
tae emendandae apud Deum sit sponsio, et in quo  
Iesu Christi in vitam redditus vim suam ad nos ser-  
vandos maxime exserit. 22. Sed idem Iesus, sub-  
iectis eius potestati naturis caelestibus, et excellen-  
tissimis, et potentissimis, in caelum redux, nunc pa-  
ri cum Deo patre gloria et maiestate fruitur.

#### CAP. IV.

1. Qui quum tamen (*vt modo dicebam*) tot ma-  
la, nostrà caussà, ante percessus sit; etiam vos,  
eundem, decebat, animum induere. Nam, qui cor-  
pore affliguntur, ii a sceleribus abstinent, 2. ita,  
vt, quidquid vitae iis superest, non humanis cupi-  
ditibus prodigant, sed diuinae voluntati peragen-  
dae consecrent. 3. Ac profecto iam satis superque,  
praeterito vitae tempore, prauis profanorum impe-  
riis a nobis satisfactum est, quo luxuria, libidini,  
violentiae, comissionibus et compotationibus,  
nec non nefario simulacrorum cultui indulsimus.  
4. Quare mirum istis accidit, quod vos non am-  
plius secum vident in effusissimas libidines ruere;  
vnde etiam religionem Christi maledictis incessunt.  
5. Sed hi quidem rationem reddere ei cogentur, qui  
et

et viuis et mortuis poenas infligere semper licet; quemadmodum *contra piis quoque, nunc mortuis* hoc tributum est solatii, vt, quanquam, humano iudicio, poenas corpore videantur luisse, diuino tamen, animus ipsorum perpetua felicitate fruatur.

7. *Caeterum reipublicae vestrae finis* quum haud procul absit, vt eo melius vacare precibus possitis, sobrietati et continentiae, quaeso, studete. 8. In primis summa vos innicem caritate complectimini, quippe quae tot *aliorum peccata amantissime* contegit. 9. Nec minus animo lubentissimo mutuis vos hospitiis accipite; 10. et, quas quisque Spiritus diuinis dotes accepit, his mutuam vobis opem fert, vt tam variorum benignitatis dinariae donorum boni administratores videamini. 11. Si quis ergo doceat, Dei doctrinam se tradere, cogitet; si sancto coetui ministret, pro viribus, a Deo concessis, id faciat, vt sic semper et vbique Deus O. M. per Iesum Christum celebretur, qui gloriam ac potentiam infinitam habet. Amen!

12. Neque vero est, quod miremini, o carissimi, calamitates paulo duriores, quae ad explorandos vos a Deo immittuntur, aut per earum acerbitudinem noui aliquid vobis putetis accidere; 13. imo, quum communia cum Christo mala subeat, laetari vos decet, vt eo maiori olim gaudio exultetis, quando eius gloria et maiestas toti mundo apparuerint. 14. Et quantumvis propter id ipsum, quod Christiani estis, contumeliose tractemini, beati tamen eâ de caussâ eritis habendi, quod gloriosus Dei Spiritus in animis vestris habitat, quem illi adversarii vestri contemnunt, vos contra verbis et facto extollitis. 15. Id modo vobis curae sit, ne quis vestrum

vestrūm vel caedis, vel furti, vel flagitiī cuiuscun-  
que, vel malae sedulitatis nomine condemnetur;  
16. nam, si religionis Christianae caussā vexetur,  
non modo non pudoris, sed contra gratiarum, Deo  
O. M. propter hoc ipsum agendarum, caussam nan-  
ciscitur. 17. Instat enim tempus cum maxime,  
quo initium poenarum exigendarum fiat ab ipso  
Dei coetu sanctiori; quod si ab hoc, hem! quaeſo,  
quid fieri de salutariae doctrinae praeſtractis aduersa-  
riis? 18. Ac si iusti vix seruantur, quid impiis et  
sceleratis accidet? 19. Hinc fit, vt, quibus, Deo sic  
gubernante, tale quid acciderit, illi huic, vt condi-  
tori fidelissimo, animas suas commendare debeant,  
caeterum recte agendo pergere.

## CAP. V.

1. Evidem eos vestrūm, qui doctores agunt, col-  
lega ipse ac testis Christi cruciatuum, idemque vi-  
tae futurae gloriam communiter cum illis sperans,  
hortor. 2. vt gregem vestrum, Deo O. M. sacrum,  
vere pascatis, nec inuite, sed libenter; nec auarè,  
et sordide, sed promtè, 3. nec denique vt tyran-  
ni, sed vt exempla, quae auditores imitantur, cu-  
ram eorum geratis. 4. Non enim, nisi sic, perpe-  
tuō virentem illam et gloriosam coronam in aduen-  
tu summi pastoris nostri reportabitis.

5. Vicissim vos, o auditores, doctoribus morem  
gerite, vniuersi autem, facile alter alteri cedentes,  
modestum animum induite, quum, „Deum su-  
perbis aduersari, modestis contra benignum se prea-  
bere,“ probe sciatis. 6. Huius igitur summae vos  
potentiae vestrā sponte subiicite, vt suo vos tem-  
pore tanto altius extollat. 7. Qui idem quum dili-

gen-

gentissimam vestri curam habeat; tuto, quidquid  
vos curarum male habuerit, in ipsum reiicie. 8.  
Veruntamen et ipsi sobrietate magnâ vigiletis, vt  
malo daemoni, vobis infestissimo, qui, in summâ  
leonis famelici crudelitate, clam tamen obambulans,  
vnumqueinque vestrûm oculis ad cædem designat,  
9, firmâ in Deum fiduciâ resistatis. Neque vero so-  
lis vobis hoc accidit, sed eadem pericula reliquos  
Christianos, per vniuersum terrarum orbem disper-  
sos, circumstidunt,

10. Deus autem O. M. idemque benignissimus,  
qui nos aeternae felicitatis participes, propter Chri-  
stum Iesum olim, post breues vitae huius molestias,  
facturum se promissit, vos ipse corrigat, firmet,  
roboret, et viribus idoneis *ad illa omnia perferenda*  
*instruat;* 11. cui gloria summa et potentia in ae-  
ternum debetur. Amen!

## P. S.

12. Haec per Sylvanum, fidelem, (vt arbitror)  
collegam, breuiter scribenda vobis putani, iterum  
affirmans et adiurans, hanc veram esse religionem,  
quam vos sequimini. 13. Salutat vos coetus, qui  
Babylone est, sanctior, et Marcus, meus filius. 14.  
Vos osculis, amoris integerrimi signo, vos inuicem  
excipite. Vobis denique omnibus, qui vere Chri-  
stum Iesum colitis, per omnia bene sit. Amen!  
*Valete!*

EPI.

---

## EPISTOLA PETRI POSTERIOR.

---

### CAP. I.

1. Simeon Petrus, minister et legatus Iesu Christi, iis omnibus, qui, per parem nobiscum fiduciam, Dei nostri et Iesu Christi, seruatoris nostri, fauorem consecuti sunt, 2. cum huius benevolentia omne felicitatis genus, quod salutarem Dei ac Iesu Domini nostri, cognitionem sequi solet, precor!

3. Postquam nobis, quaecunque ad vitam pie agendam requiruntur, diuina potentia per salutarem Iesu doctrinam gratuito impertita est, qui nos gloriose benignitatis suae fecit participes. 4. (qua impulsus maxima et splendidissima quaque nobis promisit, fore quippe, ut, si modo peruersas impiorum cupiditates fugeremus, per illam benignitatem ipso Deo O. M. frueremur;) 5. iam vos et ipsi omnem adhibete diligentiam, ut aliud ex alio boni in vobis propullulet; et e fiducia virtutem, e virtute sapientiam, 6. e sapientia continentiam, e continentia patientiam, e patientia reuerentiam Dei, 7. ex hac caritatem in Christianos, ex hac denique amorem in homines vniuersos expromatis, 8. Hae

enim

enim virtutes, si animis vestris abunde insint, neque otiosam, neque sterilem esse patientur eam, qua instructi estis, Domini nostri, Iesu Christi, scientiam. 9. Sed cui non insunt haec, quae modo dixi, is caecus omnino atque hebes censendus est, videturque plane lauaci illius, quo a vitiositate veteri purgatus est, oblinisci. 10. Quo firmius vos contra o carissimi, retinere studete bona illa, quae vobis eo, quod ad Christianam religionem, fauente Deo, accessistis, obtigerunt. Quod si feceritis, nulla in re offensuros, certum est, 11. largamque praeterea aeternum Domini nostri ac seruatoris, Iesu Christi, regnum ingrediendi facultatem consecuturos.

12. Quapropter nec me pigebit, vos, quanquam pridem de huius aeu bonis verissimis edoces et confirmatos, tamen de iis admonere identidem; 13. quin meum potius arbitror, quamdui hic animus erit in hoc corpore, vos excitare quam diligentissime, 14. praesertim qui sciam, auctore ipso Iesu Chrisio, Domino nostro, me non multo post hinc emigraturum. 15. Itaque operam dabo, ut ne post mortem quidem meam vobis desit, unde harum rerum memoriam subinde renouetis. 16. Neque enim nos, artificiose excogitatas seuti fabulas, sed his ipsis vni oculis, diuinam Domini nostri, Iesu Christi, maiestatem contemplati, de eius inter homines vita et miraculis vos certiores fecimus; 17. quem ipse Deus pater summo affectu honore et gloriâ, quum, missâ caelitus voce, haec ad eum verba cum summa maiestate pronunciabat: „Hic filius mens vnicus est, quo vehementer ego delector!“ 18. Hanc nos vocem tum, cum in monte sacro vna cum ipso eramus, de caelo missam, audiui-

diuimus. 19. Et tamen firmiora etiam harum rerum argumenta habemus in sacris vatum nostrorum libris, quos quicunq; attente legitis, rectissime profecto facitis, quum recte illi comparentur candelae, quae locum aliquem obscurum modico lumine tantisper illustravit, donec dilucesceret ac veluti plenior dies in mentibus vestris oriretur. 20. Nam et ipsi probe nostis, nullum sacri codicis vaticinium ex se ipso satis intelligi, 21. quum ne ipsi quidem eorum auctores humano impulsu vilbam eorum ediderint, sed, a Spiritu diuino acti illa omnia sancti hi viri cecinerint.

## CAP. II.

1. Quanquam subinde quoque falsos quosdam vates in populo Israëlitico, non negandum est, existisse, et paulo post inter vos extituros impostores eiusmodi, qui clam errores inuehant perniciosissimos, ac reiecto, qui suo ipsis sanguine redemit, domino, repentinum sibi exitium contrahant. 2. Quorum luxuriam seuti haud pauci, ita, ut propter ipsorum impietatem vera adeo religio infameatur, 3. factis vos sermonibus, turpis quaestus causâ, conabuntur ad se illicere. Sed in eorum scelerâ dudum abs Deo lata est sententia, et debita ipsorum impietati pernicies magnis gradibus approxinuat. 4. Quid enim? Quum Deus ne caelestibus quidem naturis, quae ab ipso defecerant, percerit, sed perpetuis tartari tenebris destinatas, futuro magno iudicio reseruet; 5. quum nec primos terrarum orbis incolas mollius tractarit, sed impiam istam colluuiem, Noacho tantum, qui eos ad meliorem frugem voluerat reducere, cum septem suis seruato, aquis merserit; 6. quum denique

que Sodoma et Gomorrah, vrbes, in poenam e-  
versas, cineribus obruerit, ut exemplum impiis in-  
posterum statueret; 7. idem tamen Lothum pium,  
atque a ciuibus vexatum, ex isto scelerorum et li-  
bidinosorum consortii *veluti gurgite* eripuerit; 8.  
(quamuis viri innoxii, inter eos habitantis, casta mens,  
videndis et audiendis tot flagitiis, quotidie crucia-  
batur;) 9. profecto nunc quoque non minus pios e-  
calamitate liberare, quam impios ad tempus, eorum  
poenae destinatum, seruare posse censendus est.  
10. Maxime autem id accidet his, qui, in omne sen-  
sum libidinis genus effusi, ne a magistratum  
quidem contemtu abstinent, sed temerarii atque  
sibi vnice placentes, neutiquam conuiciis eos dubit-  
tant proscindere; 11. quum tamen ne sanctae qui-  
dem illae naturae caelestes, etsi vi ac robore longe  
superiores, sententiae, de illis ferendae, potestatem  
Deo praeripere audeant. 12. Hi contra, veluti ratione  
carentes bestiae, reti vel laqueo et exitio natae,  
quum, quae ne intelligunt quidem, conuiciis suis  
conspurcent, pernicie sue *satis mature* inuol-  
ventur, 13. reportaturi flagitorum suorum merce-  
dem, quibus implicati, temporis exigui delicias pro  
voluptate habent; maculae et labes Christianorum  
sunt, fraudibus suis delectantur, quin vestris adeo  
sacris conuinii immiscere se audent. 14. Idem o-  
culos circumferunt meretricios, et libidinum insa-  
tiabiles, infirmos ad peccandum illectant, animum  
auaritia exercitatum habent, digni sunt, qui diris  
deuoueantur; 15. relicta via rectiori, *de industria*  
errores quaerint, et Bileami, Bosoris filii, exem-  
plum sequuntur, qui olim sceleris mercedem pactus  
quum esset, 16. insigni quadam ratione propter  
istam impietatem in ruborem dabatur, postquam  
mutum, quo vehebatur, iumentum humano more  
loqui

loqui coeperat, atque ita stultitiam vatis inhibuerat.  
 17. Quid igitur aliud eos esse dicas, nisi fontes ex-  
 arefactos, et nubes, turbine agitatas? Quid porro  
 aliud ipsis destinatum, nisi perpetuum carcerem,  
 eumque tristissimum? 18. Inani enim verborum  
 tumore ad turpissimas cupiditatum libidines eos a-  
 deo ipsos alliciunt, qui errantium societatem vix  
 effugerant, 19. quumque ipsi sint abiectissimi vo-  
 luptatum serui, (quidni enim eius, a quo quis vi-  
 ctus est, hunc seruum merito appelles?) ta-  
 men libertatem iis pollicentur. 20. Et quoniam  
 postquam per salutarem Domini nostri ac Seruato-  
 ris, Iesu Christi doctrinam ab impiorum turpi con-  
 sortio auocati sunt, victi horum sceleribus denuo  
 se implicant; multo sane peiores ipsos nunc esse  
 quam prius fuerant, necesse est: 21. omninoque  
 satius iis fuisse, salutarem doctrinam nunquam di-  
 dicisse, quam, ea semel cognitam, ab sanctiori disci-  
 plinâ, ipsis traditam, tam turpiter desciscere. 22. Si  
 in ullos vñquam, in hos certe, duo illa prouerbia  
 conueniunt, longe verissima, quae de cane, ad vo-  
 mitum redeunte, ac de sue, post lotionem in coe-  
 num reuolutâ, vulgo feruntur.

## CAP. III.

1. Hanc ego, dilectissimi, alteram iam ad vos  
 epistolam scripsi, qua non minus, quam priori, sin-  
 ceros vestros animos admonendo excitare studui,  
 2. vt ne ea obliuisceremini, quae partim sancti ve-  
 terum vates, partim Domini nostri ac seruatoris le-  
 gati in mandatis habuerunt, vt praedicerent. 3. Scia-  
 tis igitur ante omnia, non multo post haec tempo-  
 ra exstituros *sacrorum* derisores, qui nonnisi suam  
 in agendo libidinem sequantur, 4. quin *ultra* pios

T t

interro-

interrogent, vbi tandem sint illae poenae, quas Deus minatus sit? Ex quo enim maiores illi priisci e viuis discesserint, eundem adhuc rerum omnium esse ordinem, qui inde ab initio mundi fuerit. 5. Sed de industria scilicet hi, scirè se, dissimulant, *etsi* olim quoque caeli fuerint, ac terra, quae ex aqua prodierat, potentia diuinà in aqua ste erit; 6. tamen per utrumque veteres terrae incolas inundatione illà magnà periisse. 7. Pariter, qui nunc sunt, caeli cum terra, èdem Dei vi conseruantur, ut aliquando, tempore ultimi iudicii, quo impii peribunt, et ipsi flammis consumantur. 8. Qua in re unum illud ignorare vos non patiar, o carissimi, unum diem apud Deum O. M. a mille annis minime differre, 9. neque propterea de tardo promissionum eventu, quem quidam calumniantur, eum incusandum esse; sed nostra potius caussà poenas suas differre, quod neminem aeternum perire, sed omnium ac singulorum animos verè emendari cupiat.

10. Caeterum aequa sane repente, ac nocturni furis aduentus, aderit suo tempore magna illa Domini dies, qua et caeli magno fragore discedent, et corpora caelestia flammis dissoluentur, et terra deinde cum suis operibus ardebit. 11. Quae omnia quum certo euentura sint, quam diligentes, quae-  
so, in pietate et sanctis virtutibus demonstrandis vos esse oportebit? 12. qui cupide tempus diuini illius iudicii exspectatis, propter quod ipsos adeo caelos ignis dissoluet, elementa autem flammeae conseruantur? 13. Unum illud nos consolatur, quod, ex Dei promisso, nonos deinde caelos nouamque terram exspectare licebit, in quibus mera sanctitas et iustitia eadem figant.

14. Hag.

14. Hac igitur spe studeatis, quae es, o mei, ut  
casti, innoxii et concordes ab eo reperi amini, 15.  
et illam Domini nostri tarditatem salutis caussam  
vobis esse existimate, quemadmodum etiam Paulus,  
collega noster dilectissimus, pro caelitus inspirata  
sibi sapientia, non minus hoc tempore vobis scri-  
psit, 16. quam in omnibus reliquis suis epistolis.  
Ibi enim de his quoque rebus disserit, quas, non  
diffitemur, habere nonnulla, paulo obscuriora, quae  
stulti ac leues homines non secus, ac caeteros li-  
bros sacros, interpretando peruerunt, sed eadem  
operâ suam sibi ipsi perniciem contrahunt. 17. Vos  
vero, o carissimi, quoniam admoniti sitis, cautele, ne  
istis impiorum erroribus a vera via abducti, emuni-  
tissimam fiduciae vestrae velut arce et vallo defen-  
sare. 18. Contra ea Dominum nostrum et serua-  
torem, Iesum Christum, indies luculentius agno-  
scere, eique probari studete; cui gloria summa  
et nunc, et in aeternum debetur. Amen! Valete!

EPISTOLA IOHANNIS  
PRIMA.

---

CAP. I.

1. Qui primus absolute fuit, quem audiuimus,  
quem oculis nostris vidimus, quem contemplati su-  
mus, quem manibus nostris contrectauimus, Λόγον  
illum viuum, 2. qui verus vitae fons apparuit, et  
a nobis visus est, quem nos testamur et vobis num-  
ciamus, non modo ab aeterno inde apud patrem fu-  
isse, sed etiam inter homines conspicuum factum  
esse, — 3. de hoc igitur quidquid vidimus et au-  
diuimus, eā de caussa vobis notum facimus, vt vos  
quoque pari nobiscum communione fruamini, quae  
nobis cum patre eiusque filio, Iesu Christo interce-  
dit. 4. Eadem nunc scripta vobis tradimus, vt eo  
pleniori laetitiae perfundamini. 5. Quod autem ab  
eo in mandatis accepimus, vt vobis traderemus,  
hoc est, perfectissimum Deum esse ac simplicissi-  
mum, in quo ne umbra quidem prauitatis reperi-  
atur. 6. Cum quo si communionem habere nos  
profiteamur, iidem tamen impie viuamus, men-  
timur sane, et veritatem de industria oppugnamus;  
7. sin sancte et caste agamus, tum demum de com-  
munione cum ipso licebit gloriaſi, et mors filii eius,  
Iesu

Iesu Christi, cruenta omnem a nobis delictorum cul-  
pam auferet. 8. Quod si, talem culpam inesse nobis  
negemus, multum sane fallimur, nec veritatem tene-  
mus. 9. Sin, et malos nos esse, et male agere, confite-  
mur, ille se ita fidelem et benignum praebet, ut nobis  
non modo delictorum veniam impertiatur, verum e-  
tiam ab omni nos impietate prorsus liberet. 10. Si de-  
nique plane, quidquam nos mali, negemus, admini-  
ssisse, mendacii ipsum arguimus, nec salutaris eius  
doctrina vlo modo ad nos pertinere existimanda est.

CAP. II.

1. Has ego litteras, o mei, ideo ad vos dedi,  
ut ne sceleribus vos inquinaretis. Quod si tamen,  
alicui acciderit, deprecatorem habemus apud patrem  
caelestem, Iesum Christum, viii omnis plane ex-  
pertem, 2. qui delicta nostra, neque vero nostra  
solum, sed omnium adeo hominum, expiavit.  
3. Quem satisne nouerimus, nec ne, hinc scire ma-  
xime possumus, si eius praceptis pareamus. 4.  
Quisquis enim, eum se nosse, iactat, neque tamen  
eius praceptis paret, mentitur, neque cum veritate  
quidquam habet commercii. 5. Quisquis contra  
eius doctrinae conuenienter vinuit, eum Deus vere  
amat; atque hoc ipsum nostrae cum eo coniunctio-  
nis signum est. 6. Pariter qui coniunctionem cum  
Christo profitetur, qualem hic se inter homines  
gessit, talem et ipse gerere se debet. 7. Evidem  
non noua vobis, o carissimi, ab eo mandata fero,  
sed vetus illud et perulgatum repeto, hoc est, do-  
ctrinam, quam dudum audiistis. 8. Rursus nouum  
quodammodo mandatum vobis trado, quod et ab  
illo vere profectum, et a vobis vere susceptum esse  
hinc cognoscitur, quia, discussis ignorantiae tene-  
bris,

bris, vera scientiae lux iam orbi affulsit. 9. Qua quisquis frui se iactat, simul autem alios odio habet, is in maximis adhuc tenebris versatur. 10. Contra quisquis eos amore prosequitur, is illa luce gaudet, ita quidem, ut nulla facile in re offendat, 11. quum alter ille morosus plane sit in tenebris, in tenebris agat omnia, nec, excaecatis per has tenebras eius oculis, quid sibi agendum sit, videre possit.

12. Caeterum varia sunt quae scribenda vobis, o carissimi, esse duxi: omnibus quidem in vniuersum hoc: delictorum veniam vobis contigisse; 13. singulatim senioribus: vos ad veram filii Dei aeterni scientiam peruenisse; iunioribus: vos victoriariam de malo daemone retulisse; parvulis denique vos patrem caelestem nosse iam coepisse. 14. Iterum dico, vos, o seniores, Iesu Christi, filii Dei, scientia iam imbutos; vos, o iuniores, verum animi robur consecutos esse, ut, firmiter percepta doctrinae Christianae veritate, malum daemonem vincere iam possitis. 15. Ne igitur, quaeso, denuo homines impios sectamini, nec rerum humanarum vanitate delectamini, quibus qui delectantur, iidem Deum simul amare non possunt. 16. Omnes enim fluxae eiusmodi res, ut cupiditates corporis, oculorum deliciae, et externus vitae splendor non diuinam, sed foedam atque impiam habent originem; 17. atque eadem, vna cum ipso earum appetitu, peribunt; soli, qui Deo parent, aeternum felices manebunt.

18. Altera quidem nunc aetatis mundi pars esse coepit, o filioli; et, quod de Antichristi aduentu audiistis, iam eventum habere incipit. Multi enim iam

iam Christo aduersantur; ex quo ipso, adesse hunc, quem dixi, temporis articulum, agnoscimus. 19. Prodierunt sane isti homines e coetu nostro; sed non erant nostri similes; qui si fuissent, profecto nobiscum mansissent: Verum hoc propterea sic accidit, vt appareret, non omnes Christianos esse, qui se nobis adiunxissent. 20. Vos quidem, qui a Christo, duce vestro sanctissimo, diuini Spiritus dona accepistis, omnia haec iam nostis. 21. Neque ego haec vobis scripsi, tanquam scientiae huius expertibus, sed tanquam peritis, qui probe norint, errores e veritate proficiaci minime posse. 22. Quis vero tandem turpius mentitur, quam is, qui, Iesum esse verum Meseiam, negare sustinet? Profecto vere Antichristus talis homo est, qui eadem operâ cum filio Deum patrem negat. 23. Quisquis enim illum tollit, hunc idem simul sustulit.

24. Quae igitur vos de utroque inde ab initio ed ci estis, ea firmiter, quaeso, retinete. Quod si feceritis, cum filio non minus, quam cum patre caelesti, coniunctionem summam habebitis, 25. et aliquando vitâ ac felicitate aeternâ, quam ille vobis promisit, fruemini. 26. Haec de vestris impostoribus. 27. Quam autem vos ab eius Spiritu scientiam accepistis, ea vobis ita firma erit, vt alio doctore minime opus habeatis, dummodo vos ipsi, quemadmodum haec scientia, vera illa et minime fallax, vobis necessaria quaeque suggestit, ita ex eius praceptis omnia constanter agatis. 28. Atque nunc etiam in primis in eâ persistite, vt, quando ille iudicem humani generis se ostenderit, cum fiducia coram eius tribunalî comparere possimûs, neque cum summa ignominia ab eo reficiamur. 29. Nam, quum, summam esse huius iudicis iustitiam, consetet,

constet, etiam hoc vobis constet, necesse est, quisquis iuste agat, eundem ab illo originem traxisse.

## CAP. III.

1. Videte, queso, quanti amoris documentum *caelestis* pater nobis dederit eo, quod filios suos nos appellavit! Quem quoniam impii non norunt, ideo a nobis quoque sunt alienissimi. 2. Nos contra, o mei, quum simus Dei filii, etsi nondum, quales in posterum futuri simus, apparuerit, hoc scimus tamen, quando tempus illud venerit, *quo id apparet*, nos similes illius fore, quem tum *clariori in luce*, qualis sit, videbimus. 3. Et quisquis hoc ab ipsis benignitate sperat, purum is a *sceleribus* se praestat, non minus, quam Christus se praestitit. 4. Quisquis autem male agit, legem violat; atque ipsa *sceleris* natura in violanda lege cernitur. 5. Illum quidem, *Christum*, in quo nihil plane vitiosi *vñquam* fuit, scitis, nostrae vitiositatis tollendae caussâ hominem factum esse. 6. Cum quo qui coniuncti sunt, i<sup>r</sup>certe male nunquam agent; qui vero hoc faciunt, eum neque viderunt *vñquam*, neque nouerunt.

7. Ac ne quis in errorem vos inducat, *clarius loquar*, o carissimi. Qui iustitiam colit, ipse sanctus sit, necesse est, quemadmodum et Christus est *sanctissimus*. 8. Qui autem *consulto* male agit, is a malo daemone impellitur, qui et ipse ab initio male egit, et agit cum maxime; cuius consilia et acta ut euenteret, Dei filius humanam naturam sumbit. 9. Quisquis ergo diuinâ ope sic emendatus et, vt alius iam quasi a se ipso habendus videatur, non solet male agere, quoniam illud *sanctoris doctrinae*

etrinae veluti semen diuinum in ipso germinat, quin, ne potest quidem *consulto* male agere, quia ex Deo natus est. 10. Haec itaque filiorum Dei et mali daemonis diuersa signa sunt: Quisquis iniuste agit, inprimis, qui alios homines amore non prosequitur, a Deo originem non habet; 11. nam inter prima statim religionis capita nobis traditum est, ut amaremus nos inuicem, 12. neque Cainum, hominem illum execrabilem, imitaremur, qui fratrem adeo ausus est obtruncare, non aliâ de causâ, nisi quod ipse erat nequissimus, frater contra sanctissimus. 13. Neque igitur vos miremini, o carissimi, si vos impii homines, ut Abelem Cainus, odio habuerint.

14. Nos quidem e mutuo inter nos amore de facto a nobis ex mortis aeternae metu ad vitae semiperpetuae spem transitu possumus esse certissimi; sicuti contra, qui alios non amant, ad aeternam perniciem detrudentur. 15. Qui vero alios odio adeo prosequuntur, homicidae sunt, quales homines omni felicitatis aeternae spe prorsus excidisse, quis vestrum, quaeso, nescit? 16. Quanta autem vis veri sit amoris, inde appareat, quod Christus nostrâ vice necem occubuit; vnde ne nos quidem mortis periculum pro aliis Christianis recusare debemus. 17. Qui igitur dinitis abundant, si quem alium egentem viderint, ac de industriâ misericordiae erga eum motus in animo suo oppresserint, hi quomodo, quaeso, Denm amare possunt? 18. Quapropter, o mei, ne verbis modo otiosis, aut lingua simulatrice, sed factis ipsis, et sincera mente, aliis amorem nostrum ostendamus. 19. Hinc enim maxime sciemus, nos et ipsos sinceros esse, et, quacunque in re mali nobis fuerimus consciî, animum nostrum

nostrum aduersus Dei indignationem pacabimus.  
 20. Maior enim et potentior hic est animo nostro,  
 et omnia accurassime peruidet. 21. Quod si ani-  
 mum propter malefacta despondere necesse non ha-  
 beamus; maxima quoque erit nostra in Deum O.  
 M. fiducia, 22. vt, quidquid ab eo petierimus,  
 sperare nobis liceat, quoniam eius praecceptis pare-  
 mus, et, quae ei placent, facere solemus. 23. Sunt  
 autem eius praecetta haec, vt filii eius, Iesu Chri-  
 sti, nomine et auctoritate nitamur, et, quemadmo-  
 dum hic ipse nobis praescripsit, mutuo nos amore  
 prosequamur. 24. Et quisquis eius legibus parue-  
 rit, is arctissimam cum ipso coniunctione fruitur. In  
 qua nos quoque cum eodem esse, e donis dinini  
 Spiritus, nobis ab eo concessis, liquido cognos-  
 cimus.

## CAP. IV.

1. *Caeterum ne* cuiilibet doctori statim credite,  
*o carissimi*, sed eos, qui tales se ferunt, explorate,  
 sintue abs Deo missi, nec ne? Multi enim iam  
 impostores inter homines extiterunt. 2. *Spiritu*  
 autem diuino aliquem agitari, hoc indicio est, si,  
 Iesum Christum vere hominem fuisse, profiteatur.  
 3. *Quisquis contra doctor hoc negauerit*, a Deo  
 non agitatur, sed, Antichristum se esse, hoc ipso  
 demonstrat; quem venturum audiistis, et qui adeo  
 iam versari inter homines coepit. 4. *Huiusmodi*  
 impostores vos, o carissimi, quia diuinæ estis ori-  
 ginalis, iam vicistis; neque id mirum, quum, qui vos  
 agitat, longe maior sit eo, qui agitat impios. 5. *Hi*,  
 a vanissimis orti quum sint, etiam ipsos, vanissima  
 docentes, vani et impii homines libenter zudunt,  
 6. *Nos contra Deum auctorem doctrinae nostræ*  
 habe-

habemus; unde et ab iis, qui hunc nōrunt, *cum poluptate* audimur, iis, qui non habent a Deo originem, doctrinam nostram respuentibus. Atque hic est potissimum, ubi se *discrimen inter veritatis atque errorum doctores* prodere solet.

7. Mutuo itaque, o mei, nos amore complectamur, quoniam amor ex Deo proficiscitur, et, qui amat, quos debet, hunc vere ex Deo natum esse, et hunc ipsum verè nosse, certum est. 8. Qui autem alios non amat, Deum minime nouit; Deus enim, quantus est, totus amor est. 9. Cuius quidem paterna in nos propensio inde maxime intelligitur, quod filium suum, eumque unicum, hominem fieri iussit, ut aeternae felicitatis participes per eum redderemur. 10. Non igitur in eo amoris vis cognita est, quod nos Deum amauerimus, sed quod hic, prior amore nos complexus, filium suum ad expianda delicta nostra misit. 11. Quod si nos Deus tam impense amauit, o mei, est profecto, quod nos quoque mutuum inter nos amorem habeamus. 12. Deum quidem *etsi* nemo unquam corporis oculis vidit; tamen, si nos amemus inuicem, Deus nobiscum coniunctus manet, unde eius in nos amor integerrimus cognoscitur. 13. Cuius mutuac coniunctionis aliud insuper documentum est hoc, quod Spiritus sui dotes extraordinarias nobis impertivit. 14. Etiam ipsi vidimus, et, quia vidimus, testari possumus, a patre *caelesti* filium suum, generis humani seruandi caussā missum fuisse; 15. quem quisquis filium esse Dei O. M. agnoscit et profitetur, felicem illam cum Deo coniunctionem experitur. 16. Nos ipsi adeo summum illum Dei erga nos amorem experiendo cognouimus. Etenim Deus ipse, (*vti iam dixi*) amor est, quem

quem qui constanter amat, intimâ cum ipso coniunctione fruatur; 17. eiusdemque amoris habemus fructum hunc dulcissimum, vt, quando calamitates ingruunt, intrepido esse animo possimus; quoniam, vt Christus in hac viâ vexatus est, ita nec nos vexatione carebimus. 18. Non potest porro metus cum amore misceri, sed a perfectio amore eiicitur, quum animum cruciet, qui autem metu cruciatur, vere amare non possit. 19. Nos itaque eum, *inquam*, quoniam prior nos amavit, *toto animo* redamemus. 20. Quod si quis, eum ab se amari, dicat, alios autem odio prosequatur, is profecto mentitur. Nam, quum homines non amet, quos tamen ante oculos habet, quomodo tandem Deum amabit, quem oculi eius non assequuntur? 21. Atque ea ipsa de caussâ tam grauter Christus nobis iniunxit, vt, quisquis Deum amaret, idem alios homines *omnes* amore prosequeretur.

## CAP. V.

1. Quisquis *enim* credit, Iesum esse verum Messiam, quum ex Deo genitus sit habendus; omnes, qui gignentem amant, etiam genitos ab eo vt ament, consentaneum est. 2. Ac recte *vicissim* colligimus, si a nobis alii amentur Dei filii, etiam hunc amari eiusque praceptis obedientiam praestari. 3. Nam in hac ipsâ obedientia noster in Deum amor maxime cernitur; *praesertim*, quum eius pracepta nihil minus, quam molesta sint. 4. Quisquis enim ex Deo genitus est, is omne mali genus facile vincit, idque nullo alio victoriae *instrumento* usus, nisi fiducia. 5. Quis vero hoc fiduciae, mala quaerque vincentis, genus habet, nisi is, qui, Iesum Dei filium esse, firmiter credit?

6. Hic

6. Hic enim Jesus, Messias, missionem suam baptismio suo ac morte probauit, baptismio et morte, *inguam*, non solo baptismio; idque oracul's divinis constat, quae profecto sunt longe verissima. 7. Namque tria hominum sunt genera in his terris, quae consentiens de Iesu testimonium perhibent, sacri veterum vates, ii, qui baptismio homines tinixerunt, et ii, qui nunc mortem Christi nunciant. 8. Sed eidem ali tres in caelo multo maius testimonium perhibent, Pater, Λόγος, ac Sanctus Spiritus, qui tres tamen non nisi unum sunt. 9. Quod si humana illa testimonia fide digna ducimus; quanto magis diuinum hoc, longe grauius, debebimus admittere, quod Deus ipse de filio suo perhibuit? 10. Hunc Dei filium qui vera fiducia amplectuntur, hi vim illius testimonii in se sentiunt; qui autem Deo non credunt, mendacii eum argunt, quod eius de filio suo testimonium nolunt admittere. 11. Huins porro testimonii effectus est, quod felicitatis aeternae spem abs Deo accepimus, quae quidem tota eius filio nititur. 12. Quem si quis firmiter animo amplectitur, is hanc spem habere potest; sin minus, eā plane excidit.

13. Haec vobis scripsi, filium Dei sospitatem vestrum unicum agnoscentibus, vt, vos, certo sciatis, aeternae salutis aliquando participes fore, ideoque fiduciam in eo vestram pergatis reponere. 14. Qua ipsa fiducia impulsi, quotiescumque aliquid eius voluntati consentaneum, ab eo petierimus, eum preces nostras benigne auditurum, certi sumus. 15. Hoc porro si semel nobis constiterit, idem est, ac si precibus nostris ab eo iam satisfactum esset. 16. Si quis, verbi caussâ, alium aliquid mali committentem videns, quod in se non sit mortiferum,

pro

pro eo *Deum* deprecatus fuerit, veniam ei sane apud hunc conciliabit, modo illud de delicto non mortifero recte se habeat. Sunt enim profecto quae-dam deficta, quae perniciem aeternam secum ferunt, pro quibus nemini suaserim, ut deprecetur. 17. O-mne enim aliud nefas delictum est quidem, sed non necessario perniciem delinquenti contrahit.

18. Nos vero scimus, primum, quisquis ex Deo genitus sit, eum non consulto male agere, sed a sceleribus immunem se seruare; 19. deinde, nos ipsos tales esse, reliquos autem huius saeculi homi-nes horrendum in modum depravatos; 20. deni-que Dei filium praesto esse, qui veram nobis sapientiam dederit, ut verum *Deum* agnoscamus, et cum eo per filium eius, Iesum Christum, coniuncti simus; qui et ipse vere Deus, et aeternae felicitatis fons est. 21. Vnum vos adhuc obtestor, o mei, ut ne simulacrorum cultu vos polluatis. Amen!

*Valete!*

E P I-

---

## EPISTOLA IOHANNIS SECUNDA.

---

### CAP. I.

1. Ego, legatorum Christi natu maximus, Cyriae,  
lectissimae foeminae, eiusque liberis, quos amo veris-  
sime, nec tantum ego, sed et omnes, qui doctrina Chri-  
stiana imbuti sunt, salutem precor, 2. 3. quae salus,  
vna cum fauore, benignitate, et felicitate, a Deo patre  
et Domino, Iesu Christo, huius patris filio, pro-  
pter constantiam nostram in veritate et amore, tum  
praesentem, tum perpetuo futuram, largissime no-  
bis continget!

4. Evidem vehementer gauisus sum, quod li-  
beros tuos recte et plane ex praescripto patris cae-  
lestis vidi viuere, 5. teque iam, Cyria optima,  
rogo, (non quidem nouam tibi legem laturns, sed  
eandem, quam ab initio habuimus) vt inuicem nos  
diligamus. 6. Eo ipso enim amorem in Deum de-  
clarabimus, si eius praeceptis pareamus. Praecepit  
autem is, (quod ab initio statim audiistis) vt amo-  
rem illum mutuum omni in vita demonstraremus.

7. Multi

7. Multi enim iam impostores inter homines ex-  
stiterunt, qui Iesum Christum hominem factum es-  
se negant; quod quisquis facit, *summus* impostor,  
et Antichristus est. 8. Caeatis igitur, quæso, ne,  
quæ iam profecimus, ea rursus amittamus, sed stu-  
deamus potius, amplissima abs Deo præmia acci-  
pere. 9. Quisquis ab hac disciplinâ deficit, nec do-  
ctrinam Christi retinet, is diuinâ fauoris plane ex-  
pers est; quisquis contrâ ei firmiter addictus manet,  
et patre et filio propitiis vtitur. 10. Quod si quis  
ad vos, doctrinæ huins expers, venerit, eum non  
modo domum recipi, sed ne salutari quidem a vo-  
bis velim. 11. Nam, qui eum salutat, participem  
se impietatis eius reddit. 12. Etsi vero plurima  
erant, quæ vobis praeterea scriberem; tamen hoc  
nolebam chartæ et atramenti ope facere; idque ea  
de caussa, quia mox me ad vos, spero, venturnm,  
et coram vobiscum collocuturum, quod laetitiam  
multo maiorem afferre solet. 13. Salutant te soro-  
ris tuae, foeminae lectissimæ, liberi. *Vale!* Amen!

EPI-

EPISTOLA IOHANNIS  
TER T I A.

CAP. I.

1. Ego, legatorum Christi maximus, Caio, dilectissimo, quem verissimo amore complector, salutem dico, 2. precatus simul, ut, quemadmodum mens tua optime valet, ita et corpus firmum sit, nec non reliqua omnia tibi ex voto succedant!

3. Vehementer enim delectatus sum, quum venientes ad nos Christiani quidam, bonum de eximia tua pietate testimonium tibi perhibuissent. 4. Neque enim vlla maior laetandi mihi causa nasci solet, quam, quum eos, quos ad religionem Christianam adduxi, verae pietati studere audio. 5. Rechte igitur et viro Christiano conuenienter agis, o carissime, quod alias Christianos, peregrinantes maxime, adiuuas, 6. qui etiam benignitatem tuam coram sacra concione laudarunt. Quos si, ut Dei ministros, commeatu, porro quoque instruxeris, pulchrius etiam feceris. 7. Dei enim honorandi causa quum domo exissent, ne mercedem quidem la-

U u boris

boris villam a profanis, *quos docuerant, receperunt.*  
8. Tales igitur recipere, profecto nosrum est, vt  
et ipsi ad propagandam religionem nonnihil confe-  
ramus. 9. Evidenter ad coetum vestrum sanctiorem  
litteras dedi, sed Diotrepes, homo ambitiosissimus,  
nihil, quod meum sit, vult admittere. 10. Vnde,  
quum *ad vos* venero, cogar, huius eum mali-  
tiae arguere, et fraudulentas eius excusationes re-  
tundere; *praesertim*, quum, his minimè contentus,  
non modo Christianos *peregrinantes* hospitio non  
*excipiat*, sed et alios, qui eos excepturi sunt, impe-  
diat, quin a sacro coetu eiiciendos adeo censeat. 11.  
*Talem* tu, o carissime, impietatem ne imiteris, sed  
bona potius, in aliis animaduersa aemulere; quum,  
qui recte agit, a Deo *huc impellatur*, qui male,  
hunc ne nōrit quidem.

12. Demetrio *bonum* testimonium omnes, quin  
ipsa adeo veritas, *si loqui possit*, perhibet, quod  
et ego ipse confirmo, qui nunquam, vt scitis, soleo  
mentiri. 13. Multa praeterea sunt, quae possim  
scribere; verum nolo nunc quidem atramento et  
calamo vti; 14. sed quia, fore, te mox vt videam,  
spero, reliqua coram expediemus. Tu bene vale.  
Salutant te amici; nostros amicos tu nominatim sa-  
litabis. *Iterum vale!*

---

EPI.

EPISTOLA IVDAE.

1. Iudas, Iesu Christi minister, Iacobi autem minoris frater, Christianis iis, qui a Deo patre naturali vitiositate purgati, Christo autem proprie dicati sunt, salutem, 2. simulque benignitatem, felicitatem, et fauorem Dei ex animo precor!

3. Quum vtique mihi proposuissem, o carissimi, quaedam ad vos de communi salute nostrà scribere, tandem genus litterarum exhortatorium coactus fui deligere, vt traditam semel hominibus sanctis doctrinam Christianam constanter defenderetis. 4. Irrepserunt enim homines quidam impii, quorum poena in antecessum *in sacris litteris* depicta est, qui Dei nostri beneficiis ad voluptates abutuntur turpissimas, et vnum regem nostrum Deum, ac Dominum Iesum Christum reliquant. 5. Iam pri-  
mum ego illud tantum in memoriam vobis reuocabo, dudum vobis constare, postquam Dominus populum *Iudaicum* semel ex Aegypto seruârat, eum deinde hos, qui contumaces se praebuissent, funditus deleuisse; 6. eundemque naturas illas caelestes, quae dignitatem suam priorem non seruârant, sed sua sponte locum sibi assignatum relique-

U u 2  
rant,

rant, in perpetuis tenebrarum *veluti vinculis* usque  
 ad magnum illud extremum iudicium asseruare.  
 7. Quanquam igitur porro Sodomitae, Gomorren-  
 ses, et vicinarum virium incolae, qui pariter, ut  
 hi, quos describo, libidines execrandas, praeter na-  
 turam adeo, sectabantur, exemplum iam praebue-  
 rint, quam horrendis aeternarum flamarum poe-  
 nis tales homines destinantur; 8. nihil tamen mi-  
 nus et hi, pariter somnis suis indulgentes, corpo-  
 ra sua pollunt, principum potestatem omnem con-  
 temnunt, et in magistratus conuicia iaciunt. 9. Iam  
 ipse Michaël, naturarum caelestium princeps, quum  
 de defuncti Mosis corpore multa cum malo daemo-  
 ne disputasset, tamen in eum verbis condemnatri-  
 cem sententiam ferre ausus non est, sed, ipsum  
 Deum O. M. hanc in eum laturum esse, dixit.  
 10. Quid vero hi? Audacter conuiciantur in ea,  
 quae nesciunt; quae autem per vires naturae, bru-  
 torum more, intelligent, iis ad perniciem turpissi-  
 me abutuntur. 11. O infelices istos, qui Caini dis-  
 fidientiam imitantur; qui caeci, Bileami in modum,  
 Iucri caussâ, in libidines ruunt, quibus denique,  
 sicuti Corahitis, propter contumaciam pereundum  
 est! 12. Hi piorum apud vos conuiuiorum macu-  
 lae sunt turpissimae, audacter vobiscum coenant,  
 sese saginant; simillimi nubibus, aquâ inanibus,  
 quas venti agitant, arboribus, fronde et fructu pla-  
 ne parentibus, radicitus marcescentibus, vel extir-  
 patis, 13. indomitib[us] undarum fluctibus, qui eum  
 ipsi dedecus eructant, stellis denique errantibus,  
 quae aeternis tenebris addictae sunt. 14. Contra  
 hos quoque valent illa verba, quibus Henochus,  
 Adami trinepos, olim vaticinatus est: „Ecce ad-  
 ventantem Dominum cum multis sanctorum myria-  
 dibus, 15. ut generi humano uniuerso ius dicat,

et

et impios in eo non modo propter malefacta, sed etiam propter maledicta singula, quae in ipsum euomnere, debitis poenis coercent.<sup>16</sup> 16. Hi sunt rebelles isti, morosi, plane ex sua viuentes libidine, superbas voces edentes, et lucri caussa partium studio dediti.

17. Vos autem, o mei, ea, quaeso, recordamini, quae Domini nostri, Iesu Christi, legati vobis praedixerunt, 18. fore paulo post sua tempora impostaores, qui turpisimam voluntatum suarum libidines sequerentur. 19. Hi, hi sunt, *a vobis* longe diuersi, corporum serui, Spiritus diuini nihil spirantes. 20. Vos contra, o carissimi, sanctissimae religionis vestrae fundamentis innixi, precibus, divini Spiritus ope fusis, 21. amorem erga Deum O. M. in animis vestris seruate, ac benignum Domini nostri, Iesu Christi, auxilium ad impertinendam vobis felicitatem aeternam, *exspectate*. 22. Istorum autem hominum alios, qui adhuc fluctuant, meliora edocete; 23. alios, velut e flammis eruptos, seruate, alios denique, iniciendo leniter metu, misericordia tacti, recuperate, sic tamen, ut vel ipsam impuritatis superficiem in iis detestemini. 24. Soli autem Deo O. M. sapientissimo, sospitatori nostro, qui vos intemeratos seruare, et incolumes, summam cum laetitia ad tribunal suum potest sistere, 25. huic igitur gloria, maiestas, robur ac potentia infinita debetur. Amen. *Valete!*

A P O.

Ita, et aliis ratiōne obata nec eo si solūm te  
gratia ut eam, elevat mīsticā ratione ratiōne  
intendit. O! "Jesus in aliis aliis ratiōne  
certitudinē ostendit, sicut in ratiōne, et aliis  
ratiōne. Autem sc̄iūtūtū ratiōne ratiōne ratiōne  
et aliis ratiōne.

APOCALYPSIS IOHANNIS,  
THEOLOGI.

CAP. I.

1. Hic liber arcana de rebus mox euenturis conti-  
net, quae Iesu Christus legatis suis tradenda, a  
Deo accepit; atque etiam per angelum suum, Io-  
hanni, legato suo, aperuit, 2. qui cum omnino  
doctrinam diuinam, tum salutarem illam de Iesu  
Christo, et quidquid ab hoc ipsi fuit ostensum, pro-  
pagauit. 3. Felices sane non modo eos, qui haec  
aliis praelegent, sed et hos, qui ista vaticinia prae-  
legentes audierint, et quaecunque ibi continentur,  
probe considerarint, quia mox euenire incipient.

4. Iohannes septem sanctis Asiae coetibus salu-  
tem dicit, et omnis generis felicitatem optat pri-  
mum a Deo O. M. eodemque aeterno, deinde a se-  
ptem spiritibus, coram huius solo constitutis;  
5. denique a Iesu Christo, teste veritatis fidelissimo,  
in vitam renovatorum primo, regum humani gene-  
ris omnium principe. Atque huic quidem, qui tan-

to nos amore complexus est, vt suo adeo sanguine  
delicta nostra lueret, 6. nos autem ipsos regios  
sacerdotes Deo, patri suo, sisteret, maiestas ac po-  
tentia summa in aeternum debetur ! Amen !

7. Ecce in nubibus venientem eum, quem o-  
mnes mortales, etiam hi, videbunt, qui eum con-  
federant, omnesque terrarum orbis nationes expa-  
vescent, quam certissime ! 8. *Nam hic Dominus:*  
,,Ego, inquit, sum omnia in omnibus, primus i-  
demque ultimus, aeternus, omnipotens !“

9. At ego, Iohannes, sodalis vester, idemque,  
vti nunc periculorum et patientiae propter Iesum  
Christum, ita et olim regni eiusdem caelstis, vo-  
biscum socius, quum propter doctrinam Dei salu-  
tarem ac testimonium, de Iesu Christo editum, re-  
legatus essem in Patrum, insulam, 10. die do-  
minico, diuinitus extra me raptus, audiebam a ter-  
go vocem, tubae sono similem, 11. ita me allo-  
quentem: „Ego sum absolute maximus, idemque  
aeternus !“ et: „Quae tu videris, ea, volumini in-  
cludenda, perscribe septem sanctis per Asiam coe-  
tibus, Ephesino, Smyrnensi, Pergameno, Thya-  
tireno, Sardensi, Philadelpheno, et Laodiceno.“  
12. Ego vero quum respexisse, visurus, vnde  
haec vox coorta esset, quae mecum sic loqueretur;  
septem candelabra aurea, in orbem posita, conspi-  
cabar, 13. in quibus mediis stabat aliquis, huma-  
nà figurà, indutus talari veste, aureo circa pectus  
cingulo ornatus; 14. capillo, lanà ac niue ipsà  
candidiore, oculis ignis in modum flammantibus,  
15. pedibus velut orichalcinis, camino candefactis,  
voce denique, vndarum fragores imitante. 16. Dex-  
trà tenebat septem stellas; ore exibat gladius an-

ceps,

ceps, isque acutissimus; facies autem solis splendorem, sine nubibus lucentis, aequabat. 17. Quo viso statim, terrore paene exanimatus, in genua quum procidisset, ille, dextrâ mihi impositâ: Noli, inquit, metuere; ego enim sum maximus, idemque aeternus; 18. qui etsi mortuus fueram, tamen reuixi; idemque non modo in aeternum hinc victurus sum certissime, verum etiam mortis adeo a tartari potestatem teneo. 19. Tu vero partim, quae iam vidisti, partim, quae nunc vides, partim, quae hinc euentura sunt, perscribe. 20. Cacterum quod ad stellas septem quas dextrâ me tenentem modo conspiciebas, et ad septem candelabra attinet, per illas septem sacrorum coetuum doctores, per haec autem sacri coetus ipsi, significantur.

## CAP. II.

1. Ephesini igitur coetus antistiti hunc in modum scribito: „Haec tibi denunciari iubet is, qui septem stellas manu continet, et inter septem candelabra aurea versatur. 2. Non ignoro virtutes tuas, et in laboribus patientiam, et feruorem aduersus impios, quos, quum, legatos se meos esse, simulent, nec tamen sint, accuratius exploratos, mendaces reperisti. 3. Hos, inquam, summa pertulisti patientia, nec minus tamen suscipiendis mea caussa magnis molestiis, te haud passus es defatigari. 4. Sed hoc mihi in te displicet, quod me nunc amas paulo remissius. 5. Qua quidem re quantum me offenderis, considera, quaeso, mutatoque animo, ad priorem virtutem redi. Quod nisi feceris, nec vitam emendaueris, mox affuturum me scito, et candelabrum loco suo moturum. 6. Vnum illud habes quidem laudabile, quod Nicolitarum, quo<sup>s</sup>

quos et ipse odi, moribus infestum te praebes. 7.  
*Cae*terum quisquis haec audierit, attendat ad *praem*-  
*nia*, quorum *hac occasione* Spiritus diuinus sancto-  
*rūm* coetibus spem facit: se *vitiorum* victoribus  
*fructūs arborum*, in medio paradi so caelesti stan-  
*tium*, vescendos praebiturum.“

8. Smyrnensis autem coetus antistiti haec scri-  
bito: „Haec tibi denunciari iubet is, qui absolute  
aeternus est, et, quamuis occisus erat, tamen reui-  
xit. 9. Non ignoro equidem virtutes tuas, calamita-  
tes, egestatem, (quamquam alio sensu es ditissi-  
mus) et columnas, ab his aduersus te effusas, qui  
Iudeos se simulant, quum non sint, sed mali po-  
tius daemonis discipulos se gerant. 10. Tu vero,  
non est, quod timeas. *Quamuis enim accidet*, ut  
hic nonnullos e vobis in carcerem, tentandi vos-  
caussa, conicieudos curet; hoc *tamen* incommodi  
ultra decem dies non durabit. Tu vero, si con-  
stans ad mortem usque permanseris, aeterni trium-  
phi gloriam consequere. 11. Caeterum, quisquis  
haec audierit, ad *praem*, *sanc*tis coetibus diuini-  
tus promissum, attendat, mortem aeternam in *vitio-*  
*rum* victores nihil omnino potestatis habituram,

12. Pergameni coetus antistiti haec scribes: „Haec  
tibi denunciari iubet, qui gladium gerit ancipitem,  
eumque ad poenas infligendas acutissimum. 13.  
Scio, te summo studio recte agere, et, quantumuis  
ibi habites, ubi malus daemon sedem fixit, tamen  
meum nomen constanter profiteri, neque ciurare  
eam professionem voluisse, ne tum quidem, quum  
Antipater, testis mens fidelissimus, nomen meum  
professus est, qui apud vos, in ista mali daemonis  
sede, imperfectus jacet. 14. Sed est tamen nonni-  
hil

hil, quo mihi displices; quod ibi esse pateris, qui doctrinam profiteantur, similem illi Bileami; qui sicuti Balacum docebat, Israélitas ad falsorum Deorum cultum et scortandi libidinem inducere, 15. ita tu quoque Nicolitarum doctrinae sectatores ferre soles; quod probare ego nullo modo possum. 16. Itaque tu in melius animum muta; quod nisi feceris, ego ipse quamprimum in iis debellandis potentiam meam demonstrabo. 17. Quisquis haec audierit, attendat ad *praemium*, sacris coetibus a Spiritu diuino promissum: Victuro *vitia* cuilibet licet, arcano cibo caelesti frui, et continget, albo a me notari calculo, cui inscriptum sit nouum plane nomen, cuius *vim* nemo, praeter illum ipsum, qui eo fuerit insignitus, nouerit.

18. Thyatirenorum coetus antistiti hunc in modum scribes: „Haec tibi denunciari iubet ipse Dei filius, oculos habens, igne flammantes, et pedes, orichalci in modum splendentes. 19. Scio eidem virtutes tuas, amorem, beneficentiam, fidem, et patientiam; et quanto interuallo priores superentur a posterioribus. 20. Sed displices mihi in nonnullis, verbi *caussa*, quod Iesabelem, foeminam turpisimam, quae vatem se venditat, pateris docere, nihilque addictos in fraudem ducere, ut scortentur, et falsos Deos colant. 21. Cui etsi certum tempus praestitui, intra quod a libidine sua resipisceret, tamen ea mihi neutriquam paruit. 22. Quod si *cum suis* me repudiare perrexerit, ipsam *graui morbo* in lectum, eius autem adulteros in magnas calamitates coniiciam, 23. vtrorumque denique liberos spurios perdam, ut omnes sancti coetus discant, me intima hominum studia et consilia perspicere, ac dignam cuiusque vestrum factis mercedem tribuere,

24. Vobis

24. Vobis autem et reliquis Thyatirenis, qui doctrinam istam non sequimini, nec arcana mali daemonis consilia nostis, (certe, ut ipsi dictitatis) equidem promitto, me nihil amplius mali in praesenti immissurum, 25. dum, quidquid boni tenetis, ad meum vaque aduentum retineatis. 26. Quisquis autem *vitia* vicerit, et meis praeceptis ad finem constanter paruerit, is a me potestatem in profanas gentes accipiet, 27. ut eas doctrinae meae veluti pedo regat firmissimo, et quasi sigulina vasa frangat, quemadmodum et me ipsum facere pater meus iussit. 28. Eundem summo tanquam Phosphori cuiusdam splendore ac dignitate ornabo. 29. Ceterum quisquis haec audierit, is ad ea *praemia* attendat, quae sacris coetibus diuinitus promittuntur.

### C A P. III.

1. Sardensis porro coetus antistiti sic scribes: „Haec tibi denunciari inbet, qui septem Spiritus diuini dotibus instructus est, ac septem stellas magna continet: Non ignoro, quam curta tibi sit supplex; qui, etsi viuus ab aliis haberis ac diceris, tamen quouscadauere es frigidior. 2. Itaque attendas velim, et quidquid intus apud te torpescit, excites; neque enim virtus tua abs Deo integra deprehenditur. 3. Quare memento, quantum boni partim acceperis, partim audieris, eoque retento, animum corrige. Quod nisi ad te ipse attenderis, furis ego in morem, qua tu hora minime putabis, in te poenis meis irruam. 4. Supersunt sane pauci aliquot, etiam Sardibus, qui, quum sceleribus castum animum nondum polluerint, adeoque praemium mereantur, caelesti mecum gloria fruentur. 5. Et omnino quisquis vitiorum illecebras vicerit,

idem

idem praemium accipiet, neque ego huius nomen ex caelitum indice expungam, sed eum potius palam coram patre meo einsque famulis caelestibus merita laude extollam. 6. Qui vero haec audierint, si, queso, attendant ad haec tanta *praemia*, quae sanctis coetibus a Spiritu diuino promittuntur.

7. Philadelpheni coetus antistiti ita scribe: „Haec tibi denunciari iubet is, qui sanctissimus est, idemque veracissimus, praeterea instructus potentia, quam Daudes olim habebat *in suo palatio*, quo aperiente nemo claudat, claudente nemo aperiat. 8. Ego ne tuas quidem virtutes ignoro, cui magnam doctrinae meae propagandae opportunitatem, à nemine impediendam, subministraui. Tu vero, quamvis mediocribus docendi dotibus instructus, tantum tamen abfuisisti, vt doctrinam meam eiurares, vt constantissime etiam retineres. 9. Hinc nonnullos, & mali daemoniis *veluti* schola profectos, in potestatem tuam tradidi, qui, quum Iudeos se simulent, tamen non sunt, sed mentiuntur turpissime. Quos ego adigam eo, vt sua sponte genibus tuis accidunt, et, quanti a me fias, palam agnoscant. 10. Et quoniam, doctrinae meae retinendae caussâ, tot sustinueristi incommoda, ecce! et ego te incolumem seruabo in illa persecutione, quae toti regioni, explorandorum incolarum caussâ, impendet. 11. Non diu certe abero; tu igitur constanter in eo virtutis gradu, quem cum maximè tenes, persiste, ne destinato praemio te fraudare quisquam possit. 12. Quicunque autem mala vicerit, hanc ego *veluti* columnam ciuitatis diuinae constituam, perpetuo ibi restituram, cui nomen Dei mei, ac ciuitatis divinae, *hoc est*, Hierosolymae novae, quae caelitus abs Deo profecta est, meumque insuper nomen, et ipsum

**I**psum nouum, incribam. 13. Caeterum quisquis haec audiet, attendat ad *praemia*, quae a Spiritu diuino sanctis coetibus promittuntur.

14. Laodicieni denique coetus antistiti scribes sequentia: „Haec tibi denunciari iubet is, qui Veritas ipsa, eiusdemque testis est fidelissimus et gravissimus, nec non gubernator omnium, quae Deus condidit. 15. Scio euidem, qualis tu sis, hoc est, te nec frigere, nec calere, sed tepescere. Qui vitam alterutram faceres, ut seruari posses! 16. Nunc, quum talis sis, qualem dixi, ego te meo ex ore euomam, necesse est. 17. Quanquam enim te sati diuitem et opulentum esse, neque villa re indigere, somnias; nescis tamen, eundem te miserum, aerumnosum, egenum, caecum esse, et in summâ nuditate versari. 18. Vnde auctor tibi sum, ut a me aurum obryzum sumas, quo fias ditior, et vestes splendidas, quibus induvis, nuditatem turpissimam aliorum conspectui subtrahas, collyrium denique, oculis illinendum, quo visum recipias. 19. Ego certe apud hos, quos amo, veritatem minime dissimulo, sed acriter ipos increpo. Quare tu quoque, velim, hoc veluti stimulo impulsus, animum corrigas. 20. En! ego, ante fores stans, pulso, ut si quis, auditâ meâ voce, aperiat, ingressus ad ipsum, et hospitio exceptus, eum deinde vicissim, lautissimâ coenâ possim excipere. — 21. Caeterum quisquis malum omne vicerit, eum ego participem gloriae meae reddam, non secus, ac me, postquam viceram, pater meus suae participem reddidit. 22. Quisquis autem haec audierit, attendat, quaeso, ad ea bona, quae sanctis coetibus hactenus promissa sunt.

CAP.

## CAP. IV.

1. Posthaec ego ianuam in caelo videbam, aper-tam, simulque audiebam vocem illam, primum a me auditam, veluti tubae, mecum loquentis hunc in modum: Ascende huc, vt tibi ostendam, quae hinc enentura sunt. 2. Siatim extra me rapto mihi apparebant sequentia: Solium in caelo positum, et ei aliquis insidens, 3. cuius adspectus iaspidem referebat et sardam; circa solium autem iris, smaragdo quam simillima. 4. Circa idem alia solia quatror et viginti; his insidentes Seniores totidem, albis induiti vestibus, aureis coronis redimiti. 5. E solio ipso vibabantur fulgura, audiebantur tonitrua, emittebantur voces; ante illud autem lucebant septem lampades ardentes, quibus septem Spiritus di-vini dotes significantur. 6. Porro ante solium erat planities quaedam pellucida, paene crystalli in mo-dum, in mediâ autem prope illud areâ, et circa, versus quatror plagas, naturae quatror viuae, in fronte pariter ac tergo oculis instructae quam pluri-mis. 7. Harum una referebat speciem leonis, al-tera formam vituli, tertia hominis faciem, quarta denique aquilae volanti erat similis. 8. Hae igitur quatror naturae senas alas circa habebant singulae, oculis introrsum plenas, nec interdiu, nec noctu quiescentes, quin exclamarent: „Sanctus, Sanctus, Sanctus est Dominus Deus, omnipotens, idemque aeternus!“ 9. Quas laudes et gratiarum actiones quoties eae *Deo*, qui solo insidet, in aeternum re-gnaturus, reddunt; 10. toties Seniores quatror et viginti ante hunc procumbunt, eumque, vt perpe-tuo regnaturum, adorantes, coronas suas ante so-lium deponunt, his verbis: 11. „Dignissimus pro-fecto es, Domine, cui gloria, honor, et potentia, o-mnis

mnis tribuantur, quum tu, quidquid rerum in mundo est, liberrima tua voluntate iusseris existere!

## CAP. V.

1. Videbam porro ad dextram eius, qui solio insidebat, volumen, utrinque inscriptum, ac septem sigillis obsignatum; 2. tum vero angelum robustum, magna voce exclamantem: *Quis satis dignus est, cui, solutis sigillis, liceat librum hunc euolueret?* 3. Neque enim quisquam vel in caelo, vel in terra, vel infra terram reperiatur, qui aperire eum posset, einsque argumentum cognoscere. 4. Vnde et ego flebam vehementer, quod nemo adeo eius vel aperiundi, vel praecipendi, vel intelligendi facultate ac potestate esset instructus, 5. donec Seniorum aliquis vetaret me lacrymas inanes profundere, quoniam esset, qui *dignitate caeteros vicisset*, leo de Iudea tribu, unus e Davidis posteris, adeoque volumen, solutis sigillis, esset aperturus.

6. Atque ecce, statim videbam, iuxta solium, inter medias illas quatuor naturas ac Seniores, agnum stantem, eumque vulneratum, septem habentem cornua, totidemque oculos, quibus septem spiritus diuini dotes, quaquaversum per terras distributae, significantur. 7. Is accedens volumen e dextra solio insidentis sumebat. 8. Quo accepto, quatuor illae naturae, una cum quatuor et viginti Senioribus, coram agno supplices procidebant, singuli quidem tenentes citharas cum phialis aureis, thure plenis, quibus sanctorum hominum preces significantur. 9. Idem nouum plane carmen canebat huiusmodi: „*Tu vero dignus es profecto, qui appetiundi*

riundi voluminis, sigillorumque eius soluendorum potestatem accipias, quod, mactari te passus, cruenta tua morte nos Deo, ex omnibus terrarum orbis gentibus, populis, et nationibus, ipsa adeo lingua diuersis, delectos, reconciliasti, 10. eique regios sacerdotes consecrasti, vt aliquando in terra regnare possimus. 11. Hinc videbam, simulque loquentes audiebam multos circa solium, circa naturas illas viuas, ac Seniores, angelorum choros, quorum numerum inire nemini licet, his fere verbis, 12. magna voce prolatis: „Dignus est agnus hic matatus, cui potentia, opes, sapientia, robur, honos, gloria, denique gratiarum actio tribuantur.“ 13. Porro quidquid a Deo erat conditum in caelo in terra, sub terra, in mari, et quidquid his omnibus continetur, ea pariter omnia audiebam exclamantia sic: „Ei, qui solio insidet, et agno huic gratiarum actio, honos, gloria, et potentia in aeternum debentur!“ 14. His quatuor illae naturae addebat: Fihat! quatuor autem et viginti Seniores, in genua prolapsi, Deum, in aeternum viuentem, simul adorabant.

## CAP. VI.

1. Tum vero, agno primum sigillorum aperiente, audire mihi vocem videbar viuis, e quatuor illis naturis, terribili sono me, propius accendentem iubentis attendere. 2. Quod quum facerem, statim, ecce, equus apparebat albus, cui insidebat aliquis, arcum tenens. Is, laurea accepta, victor exhibat ad nouam victoriam. — 3. Agno alterum sigillum aperiente, altera quatuor naturarum iterum me iubebat attendere. 4. Exhibat hinc alias equus, isque rufus, cuius insessori potestas siebat tollendae e ter-

e terra pacis, vt mutua quaedam hominum caedes  
exsisteret; vnde et magnus ei ensis tradebatur. —  
5. Agno aperiente sigillum tertium, tertia illa natu-  
ra me aduocabat. Ibi videbam equum nigrum, cui  
qui insidebat, libram manu tenebat. 6. comitante  
eum voce quadam, inter quatuor illas naturas emis-  
sa, et ad aures meas allabente: „*Hinc vnuſ tritici*  
*choenix denario, tres hordei pariter denario veni-*  
*bunt; olei tamen et vini pretium non augebitur!*“  
— 7. Quartum denique sigillum aperiente agno,  
quarta etiam natura illa me pariter visum aduoca-  
bat. 8. Tum vero apparebat equus coloris pallidi,  
cui qui insidebat, *Mortis* gerebat nomen, comi-  
tante ipsum Orco vniuerso, dataque potestate, vt  
quartam generis humani partem gladio, fame, peste,  
et ferarum morsu perimeret. — 9. Quintum si-  
gnum agnus quum solueret, videbam iuxta aram a-  
nimas eorum, qui doctrinae diuinae caussa, quam  
constanter fuerant professi, vitam amiserant. 10.  
Hi magna voce clamabant: „*Quousque tandem ces-*  
*sas, Domine sanctissime ac veracissime, sanguinis no-*  
*stri poenas a mortalibus reposcere?*“ 11. His, data sin-  
gulis ueste candida, respondebatur, exspectandum fore  
ipsis per aliquod adhuc temporis spatium, donec eorum  
consortes et comilitones, qui et ipsi interficiendi  
essent, ipsarum numerum explessent. — 12. Quum  
porro sextum sigillum solueret, videbatur mihi ma-  
gnus terrae motus exsistere, sol, sacci cilicini more,  
nigrescere, luna rubescere; 13. stellae de caelo in  
terrā delabi, non secus, ac ficus, a magno vento  
agitata, grossos deiicit, 14. caelum ipsum, libelli  
connoluti more, diacedere, omnes denique mon-  
tes et insulae locis suis moueri. 15. Tum vero  
reges orbis terrarum, eorum amici, dimites, belli  
duces, proceres, serui omnes et ingenui in spelun-

cis et cauernis montium sese abdere, 16 atque his dicere: „In nos corruite, vt sub vestro tegmine ab adspectu eius, qui solio insidet, et ab ira agni tutis esse nobis liceat; 17. quoniam horrenda poenarum, ab eo inferendarum, dies iam imminet, quam nemo unus potest effugere,

## CAP. VII.

1. Posthac videbam quatuor angelos, in quatuor terrae angulis constitutos, qui totidem ventos cardinales retinerent, ne hi terram, aut mare, aut arbores perflare vilas possent. 2. Contra ea alium conspicabar angelum, ab ortu solis incidentem, qui, sigillum, abs Deo aeterno acceptum, tenens, magna voce quatuor istis prioribus, terram et mare, potestate accepit, infestaturis, acclamabat, 3. ne vel terram, vel mare, vel arbores prius laederent, quam ipse cum suis veros Dei sui cultores sigillis, horum fronti imprimendis, notassent. 4. Quorum ita obsignatorum ego numerum, audire me memini, fuisse centum et quadraginta quatuor millium, qui ex solis Israëliticae gentis tribubus conficeretur, idque sic, 5-8. vt ex qualibet duodecim millia, obsignarentur, hoc quidem tribuum et ordine et nominibus: Iuda, Ruben, Gad, Asser, Naphthali, Manasse, Simeon, Leui, Isaschar, Sebulon, Ioseph, Benjamin.

9. Quo facto nouum videbam spectaculum, turbam ingentem, hominum, nemini numerabilem, ex omnibus populis, gentibus, nationibus, linguis mixtam, ante solium et agnum stantium, qui, candidis induiti vestibus, et palmas manibus tenentes, 10. exclamabant: „Deus noster, solio insidens, et agnus in aeternum celebrentur!“ 11. Simul angeli omnes

omnes, qui solium cum Senioribus et quatuor naturis viuis cingebant, ante solium in faciem prolapsi, Deumque adorantes, 12. dicebant: „Fiat vtique! Deo nostro laudes, gloria, sapientia, gratiarum actio, honor, potentia, robur in aeternum tribuantur! „Amen!“ 13. Hic unus e Senioribus ex me quaerebat, num scirem, quinam essent, et unde venissent illi, quos candido induitos vestitu vidi sem? 14. Cui quum respondissem: Hoc tu quidem, Domine, me ipse scis longe melius; ille: Hos igitur, inquit, scito, calamitatibus longe maximis perfunctos hic adesse; ac vestibus suis, probe lotis, agni sanguine candorem induxisse. 15. Unde etiam iis contingit honoris hoc, vt, ante solium Dei versantes, eum perpetuo in ipsius templo colant, vt hic, solo suo insidens, sua ipsos praesentia exhilaret, 16. vtique ipsi nullà dehinc fame, aut siti, aut solis ardore, aut alio incommodo quocunque vexentur, 17. sed, vt agnus, ante solium residens, eos pascat, et viuis solatii fontibus recreet, Deus autem omnes lacrymarum profundendarum caussas ab iis perpetuo remoueat.

### CAP. VIII.

1. Aperiente tandem agno sigillum septimum, per dimidiam horam altum in caelo erat silentium,
2. Quo rupto videbam, septem angelis, qui proximi Deo esse solent, totidem tubas dari; 3. veniente interim alio, qui, ad aram consistens, thuribulum aureum tenebat. Huic tradebatur thuris longe plurimum, quod, quoties sancti preces funderent, ille in arà aureà, quae ante solium erat, reponeret.
4. Cuius quidem thuris fumus una cum sanctorum precibus ex angeli manu ad Deum usque adscenderet.

tat. 5. Sed idem sumtum illud thuribulum, et i-  
gnibus ex arâ repletum, in terram effundebat, vu-  
nde fragores, tonitrua, fulgura et motus terrae oric-  
bantur. 6. Simul septem illi angeli, totidem tu-  
bis instructi, ad canendum his sese accingebant.

7. Primo itaque canente, grande oritur cum  
flammis, intermixto sanguine, quâ in terram dela-  
psâ, arborum pars tertia cum graminibus omnibus  
exarescit. — 8. Canente altero, mons ingens, igne  
ardens, in mare se præcipitat, et huic pars tertia  
in sanguinem mutatur, 9. vt etiam tertia pars cum  
animalium marinorum, tum nauium, interiret. —  
10. Tertio canente, magnum sidus ardens, facis  
instar, de caelo in tertiam fluminum partem et un-  
darum fontes delabitur, 11. cuius sideris nomen  
est Absinthium; cuius proinde saporem quum ter-  
tia aquarum pars contraxisset, multi homines, hau-  
stis aquis, amaritudine corruptis, peribant. 12.  
Quartus angelas quum canere tubâ coepisset sol,  
luna, et sidera, quaelibet tertiatâ sui parte icta, tan-  
tundem suae lucis amittunt, vt nec dies istâ par-  
te luceret amplius, nec nox obscuraretur. — 13.  
Quo facto, alium angelum videbam, per medium  
caelum transuolantem, eundemque magnâ voce ter  
calamitates summas denunciantem audiebam orbis  
terrarum incolis, per ea tempora, quibus tres re-  
liqui angeli, in flandis tubis, illas essent significa-  
turi.

## CAP. IX.

1. Quinto igitur clangente, videbam stellam, de  
caelo in terras cadentem, cui clavis tradebatur, quâ  
fontem abyssi recluderet. 2. Id ille quum fecisset,  
fumus

fumus inde, tanquam ex ingenti camino, exhibat,  
quo sol et aer prorsus obscurabantur. 3. Ex hoc  
porro fumo existebant in terra locustae, quae ean-  
dem, quam scorpiorum terrestres, vim accipiebant. 4.  
His mandabatur, ut nec graminis, nec arbores, nec  
alium quidquam viride super terra laederent, sed solos  
eos homines infestarent, qui sigillum diuinum fron-  
tibus impressum non haberent. 5. Simul vetabantur  
eos vita priuare, nisi quod licebat, eos per quin-  
que menses cruciare, idque plane sic, ut scorpiorum  
pungere homines solent; 6. quo quidem tempore  
homines, ab illis vexandi, nequidquam mortem  
sint quae sit, imo, quo magis eam exoptari int, eo  
magis haec eos fugitura sit. 7. Ipsa autem locusta-  
rum forma equis, ad bellum instructis, similis erat;  
coronae coloris aurei earum capitibus impositae;  
facies humanae faciei; 8. crines foeminarum crini-  
bus, dentes leoninis dentibus non dissimiles; 9.  
thoraces veluti ferrei; sonitus alarum sonitum cur-  
ruum et equorum, ad pugnam ruentium, aequa-  
bat. 10. Habebant praeterea caudas, quales scor-  
pii, ea que aculeis instructas, quibus per quinque  
menses, vti iam dixi, eos infestarent. 11. Praeest  
denique iis, veluti rex, abyssi angelus, quem He-  
brei Abaddon, Graeci sua lingua Apollyonta appel-  
lant. 12. Atque haec prima erat insignis calamitas;  
sequentur hanc binae aliae —

13. Sexto angelo tuba canente, audiebam vocem,  
e quatuor aerae aureae coram Deo positae, cornibus  
emissam, 14. qua iuberetur ipse hic angelus, qui  
tubam habebat, quatuor alios malos, qui ad ma-  
gnum Euphratrem flumium alligati essent, soluere.  
15. Qui statim soluti se accingebant in unam ho-  
ram, diem, mensem, et annum, ut tertiam huma-

ni

ni generis partem occiderent. 16. Solius eorum equitatus numerum, audiebam, esse duas myriadum myriades, 17. videbamque faciem tum equorum, tum eorum, qui insidebant, habentium thoraces coloris ignei, hyacinthini, et sulphurei; equorum capita leoninis erant similia; ex ore autem ignem, fumum, et sulphur emittebant. 18. His tribus, vti dixi, igne, fumo, et sulphure, eorum ore emissis, tertia hominum pars peribat. 19. Maxima enim vis eorum ori inerat, quanquam et caudis, quae serpentibus erant similes, et capita habebant, vexandi vis erat indita. 20. Neque vero reliqua hominum pars, qui in hac calamitate non perierant, propterea a malefactis sese abstinebant, quo minus malos daemones et imagines aureas, argenteas, lapideas, et ligneas, nec videndi, nec audiendi, nec ambulandi facultate praeditas, diuino cultu prosequerentur, 21. imo audacter pergebant, caedibus, veneficiis, libidinibus ac furtis sese polluere.

## CAP. X.

1. Tum alium videbam angelum, eumque robustum, caelo descendere, nube septum, iridem habentem in capite, facie solis in modum splendida, pedibus autem columnas igneas referentibus. 2. Is, libellum apertum manu tenens, ac dextrum pedem mari, sinistrum continentis imponens, 3. ingenti voce, tanquam rugiens leo, clamabat, quo ipso tempore simul tonitru septies audiebatur. 4. Quod dum sit, ego scripturus, vocem caelitus emissam, audio, vetantis me ea, quae e tonitru, septies auditio, intellexisse, litteris mandare, sed obsignare potius iubentis. 5. Interim angelus, quem mari et continentis simul videram instituisse, sublatâ in caelum

lum manu, 6. 7. per Deum in aeternum victurum,  
eundemque caeli, terrae, maris, et omnium, quae  
his continentur, conditorem, iurabat, non fore  
Chronum amplius, donec arcanum Dei consilium,  
(quemadmodum vatis, ministris suis, promis-  
set,) ad exitum perduceretur; sed eo tempore, quod  
septimus angelus tuba indicaturus esset, id even-  
tum habiturum. — 8. Tum vox illa, quam de cae-  
lo audiheram, rursus ad aures meas allabitur, meque  
libellum istum apertum e manu angeli, mari ac  
terrae simul insistentis, iubet sumere. 9. Quem  
ego accedens ab angelo quum petiisse, ille me  
sumtam eum deglutire iubet, praedicens simul,  
eundem, quantam ori meo dulcedinem, tantos  
contra ventri dolores esse allaturum. 10. Ego vero  
quum ei paruisse, ac sumtum ore deglutissem;  
plane experiebar, quod ille praedixerat. 11. Quo  
facto ille, hinc mihi rursus de multorum populo-  
rum, gentium, nationum, ac regum fatis vaticinia  
edenda fore, adiicebat,

## CAP. XI.

1. Data igitur mihi arundine, quae virgac erat  
similis, angelus, eodem loco manens: Surge, inquit,  
ac templum Dei, vna cum arâ, et iis, qui ibi sacra  
faciunt, metire, 2. omisso tamen atrio templi ex-  
teriori, quod ideo non metieris, quia profanis gen-  
tibus, sacram urbem per menses duos et quadra-  
ginta possessuris, relinquetur. 3. At ego duo do-  
ctores, de me testatores, excitabo, qui sordidati, per  
mille ducentos sexaginta dies, oracula meo nomine  
sunt edituri. 4. Hi sunt illae ambae oleae, ac duo  
candelabra, coram regionis huic Deo posita; 5.  
quos si quis ausus fuerit laedere, flammis, ex ore  
emis-

emissis, hi aduersarios suos interimēt, quin adeo,  
qui tantum facinus modo mente conceperint, eo-  
dem mortis genere peribunt. 6. Habent enim illi  
potestatem cum in caelum, ut pluiani, durante  
vaticinii sui tempore, a serrā prohibeant, tum in  
vndas, vt eas mutent in sanguinem, omninoquē  
homines variis, quoties ipsis lubuerit, calamitati-  
bus affligant. 7. Exacto autem vaticinii tempore,  
bestia quaedam, ex abyso existens, bello infesta-  
tos vincet atque interficiet. 8. Quo facto, eorum  
cadauera in platea magnae vrbis, quae arcano quo-  
dam sensu Sodoma et Aegyptus vocatur, et vbi  
etiam Dominus noster in crucem actus est, iacebunt,  
9. vt per tres dies cum dimidio a variortū popu-  
lorum, tribuum, nationum, ac gentium hominibus  
conspiciantur; quum ea hi ne terrae quidem man-  
dari permittant. 10. Quoniam igitur hi duo vates  
regionis incolas viui variis vexarunt calamitatibus,  
hinc summā propter eorum interitum afficientur vo-  
luptate et laetitia, vt etiam muneribus inuicem  
missis, sibi congratulentur. 11. Sed post tres dies  
cum dimidio, potentia diuinā in vitam revocati, et  
in pedes erecti, magnum sui metum spectatoribus  
iniciant. 12. Auditā enim de caelo magna voce,  
quae inbeat eo ipsos adscendere, nube cincti, spe-  
cantibus suis aduersariis, in coelum extollentur.  
13. Qua ipsa hora, orto ingenti terrae motu, deci-  
ma vrbis pars, corruet, ac septem hominum millia  
isto modo peribunt, reliqui vero, perterriti, Dei O.  
M. maiestatem agnoscunt lubentissime. — 14. Haec  
altera erat calamitas, quam quidem tertia quam pro-  
xime sequetur.

15. Septimo denique angelo tuba clangente, ma-  
gnae in caelo voces audiebantur huiusmodi: „Er-  
go

go omnia iam terrarum orbis regna Domino nostro,  
eiusque *filio* regi tradentur, ut ipse aeternum do-  
minetur!“ 16. Tum quatuor et viginti Seniores,  
coram Deo in suo quisque solo considentes, in fa-  
ciem supplices prolapsi, Deum his verbis adora-  
bant: 17. „Gratias tibi agimus, Domine, Deus o-  
mnipotens atque aeterne, quod, exhibita summa  
tua potentia, regnum suscepisti. 18. Quidquid e-  
nim gentes insinant, tempus tamen aderit vindici-  
iae sumenda, iudicandorum mortuorum, distri-  
buendorum variis, ministris tuis, et omnibus o-  
mnino tuis cultoribus, cuiusque generis atque or-  
dinis, praemiorum, perdendorum denique, qui ter-  
ram perdiderunt!“ — 19. Statim hinc aperiri tem-  
plum Dei caeleste; arca foederis eius in templo  
conspici; hinc porro fulgura, fragores, tonitrua,  
terre motus, et grando plane incredibilis.

### CAP. XII.

1. Tum nonum in caelo exsistebat spectaculum,  
foemina, sole cincta, lunam sub pedibus, in capite  
autem coronam, astris constantem duodecim, ha-  
bens; 2. quae cum vterum ferret, doloribus ex  
partu cruciata, clamorem ederet. — 3. Aliud por-  
ro ibidem apparebat, draco ingens, rubri coloris, se-  
ptem habens capita, totidem coronis cincta, ac de-  
cem instructa cornibus; 4. cuius cauda tertiam astro-  
rum caelestium partem secum trahens, in terram  
deiiciebat. Is ante foeminam, iamiam parituram,  
consistens, foetum eius, in lucem edendum, de-  
voraturum se, minabatur. 5. Sed quum illa mascu-  
lum peperisset, omnes aliquando populos guber-  
naturum potentissime; hic ad Deum eiusque soli-  
um abreptus transferebatur, 6. foemina autem fu-

giebat

giebat in quandam solitudinem, ab aliis ibi alenda per dies mille ducentos sexaginta. 7. Quin bello per caelum exorto, Michaël cum suis angelis aduersus draconem, cum suis pariter instructum, pugnabat. 8. Sed hi victi, suisque in caelo sedibus depulsi, 9. vna cum dracone ingenti ipso, (qui idem serpentis antiqui, diaboli, Satanae, ac totius generis humani corruptoris nominibus est paulo notior.) in terram deuicabantur. 10. Ibi tum ego magnam vocem, qua caelum omne personabat, audiebam, his verbis usam: „Nunc demum humano generi salus, nunc potentia, nunc regnum Deo nostro, nunc principatus Christo, eius filio, assertus est, postquam delator consanguineorum nostrorum, qui eos sine intermissione apud D̄sum nostrum calumniabatur, hinc electus est, 11. quem illi per agni sanguinem et constantissimam diuinae veritatis professionem, cum generosissimo vitae contentu coniunctam, deuicerunt. 12. Vnde est profecto, quod caelum vniuersum, et quicunque ibi habitant, summa laetitia efferantur. At yobis, qui terram et maria incollitis, magna calamitas imminet, ideo, quod calumniator iste, ad vos delapsus, quam, non adeo multum sibi temporis ad nocendum vobis, sciat concessum esse, horrendo furore excitabitur.“ 13. Ac reuerâ draco, in terram deiectum se videns, foeminam, quae puerum pepererat, persequebatur. 14. Sed haec, datis sibi aquilae magnae alis, in locum desertum, sibi destinatum, auolabat, ubi, tuta ab isto draconе, per tria tempora cum dimidio, se interim sustentat. 15. Et quanquam draco post eam vndas, in fluminis magnitudinem, ex ore suo euomebat, vt hoc veluti torrente eam abriperet; 16. terra tamen, ei latura suppetias, apertis faucibus, hunc torrentem, e draconis ore effusum, absorbebat.

17. Ea

17. Ea de caussa hic, ira in mulierem incensus, ipsa dimissa, cum reliquis eius posteris dimicabat, qui Dei praeceptis parentes, Iesu Christi nomen constanter profiterentur. — 18. Ego autem, subito inde abreptus, ad littus maris mihi videbar consistere.

### C A P. XIII.

1. Ibi e mari bestiam videbam emergere, quae septem capita ac decem cornua, atque haec quidem totidem cincta diadematibus, illa autem iniuriosissimo in Deum nomine inscripta, haberet. 2. Ei bestiae, quae in universum similis erat pardo, nisi quod vrsinis pedibus, ore autem leonino esset instructa, draco omnem suam potentiam, sedem, ac dignitatem tribuerat. 3. Caeterum caput eius primum, quod letiferum vulnus videbatur accepisse, statim ita sanabatur, ut nemo non eam rem admiraretur. 4. Omnes itaque non modo draconem, qui ei potestatem dederat, sed ipsam adeo bestiam sic venerabantur, ut similem huius quenquam esse, aut pugnare cum ea posse, prorsus negarent. 5. Porro, quum ei maxima quaeque et sclestissima loquendi, itemque belli per duo et quadraginta menses gerendi potestas esset facta, 6. ingenti ausu, impia in Deum lingua eius euomebat, quibus maiestas eius violaretur, sedes autem caelensis, et qui cunque in ea habitarent, infamarentur. 7. Sic et belli cum sanctis gerendi, hosque vincendi dabatur ei copia, quin adeo potestas in omnes nationes, tribus, ac gentes permittebatur. 8. Vnde etiam fiet, ut eam diuino cultu prosequantur omnes omnium terrarum incolae, quorum nomina ab initio mundi non relata ab agno mactato fuerint in numerum eo-

rum,

rum, qui aliquando in aeternum erunt seruandi.  
 9. Atque hic sane attentione summa opus est! 10.  
 Si quis enim, vindicandi *Dei caussa*, bestiae *asseclas* in vincula coniecerit, et ipse eodem coni-  
 cietur; si eos per vim occiderit, et ipse violenta ne-  
 ce peribit. Nihil enim hic quidquam proficiet, praes-  
 ter sanctorum hominum patientiam et in *Deum* fi-  
 duciam.

11. Sed videbam quoque aliam bestiam, e ter-  
 ra existentem, duobus cornibus, qualia agni ha-  
 bent, instructam, cuius vox draconis voci erat si-  
 millima, 12. Haec, quidquid prior bestia efficit,  
 ipsa quoque, hac praesente, efficit, et omnes terra-  
 rum orbis incolas inducit, ut hanc bestiam, cuius  
 letiferum vulnus sanatum erat, adorent, 13. editis  
 adeo miraculis, ut ignem de caelo pluere in eorum  
 conspectu inbeat. 14. Sic per miracula, quorum  
 coram altera bestia edendorum potestatem accepit,  
 homines in errorem ducit, dum eos bestiae, cuius  
 vulnus, gladio factum, sanatum vidissent, statuam  
 iubet erigere, 15. Quin ei licet, huius bestiae si-  
 mulacro animam inspirare, ut vocem emittat, et o-  
 mnes, qui adorare illud noluerint, interficiat, 16.  
 Omnes porro, summos, infimos, diuites, pauperes,  
 ingenuos, seruos, eo adigit, ut dari sibi ab ipsa si-  
 nant signum, siue dextrae, siue fronti impimen-  
 dum, 17. ea quidem lege, ut nemini emere quid-  
 quam licet aut vendere, nisi his, qui signum vel  
 nomen bestiae, vel denique numerum nominis eius  
 habuerint, 18. Sed in hoc ipso latet sapientia.  
 Quisquis igitur sapit, numerum bestiae computet;  
 est enim numerus humanus et consuetus, isque  
 sexcenti sex et sexaginta.

CAP.

## CAP. XIV.

1. Porro videbam agnum in Sione monte stantem una cum centum quadraginta quatuor millibus eorum, quorum frontibus nomen patris eius erat inscriptum. 2. Simul ad aures meas penetrabat quidam de caelo sonus, velut vndarum magnarum ac tonitruum; is autem erat sonus citharoedorum, fidibus canentium. 3. Hi iuxta solium, coram quatuor naturis, viventibus et Senioribus nouum aliquod carmen canebant, quod, praeter illa centum quadraginta quatuor millia, ex reliqua humani generis collunie secreta, nemini licebat intelligere. 4. Sunt autem hi, qui, nunquam foeminis usi, virginitatem illibata seruarunt; qui agnum, quounque tandem se contulerit, sequuntur; qui *veluti* primitiae quaedam generis humani, Deo et agno consecrati fuere; 5. qui denique, veritatis perpetuo studiosissimi, nullius culpe rei abs Deo habentur.

6. Alium deinde videbam angelum, medio volantem caelo, ac terrae incolis, populi, linguae, tribus et nationis cuiuslibet, perpetuae laetitiae et felicitatis nuncium ferentem, his fere verbis: 7. „Deum reueremini, suamque ei maiestatem reddite, quod poenae eius cum maxime imminent. Ergo solum hunc caeli, terrae, maris, ac fontium auctorem diuino cultu prosequimini.“ —

8. Sequebatur illum alius, haec locutus: „Perit tandem, periit magna vrbs ista, Babylon, quae fermenti libidinis suae *veluti* poculo nationes inebriarat.“

g. Se.

9. Sequebatur denique tertius, magna voce exclamans: „Si quis bestiam eiusve simulacrum adorare, eiusque signum fronte vel dextra recipere fuerit ausus; 10. is et ipse irae diuinæ, tanquam meri, plenum calicem ebit, et sulphureo igne coram angelis et agno cruciabitur, 11. sic, ut fumus flammæ cruciantis in aeternum surgat, omnesque ii, qui bestiam eiusque effigiem adorant, et signum nominis illius impressum habuerint, nec interdiu, nec noctu possint conquiescere. 12. Hic, hic, inquam, sola seruabit sanctorum hominum patientia, qui præceptis Dei paruerint, et nomen Iesu constanter fuerint professi. 13. Tum audiebam de caelo me iubentem scribere, felicissimos fore, quos ab hoc inde temporis articulo Deus ex hac vita esset auocaturus. Recte sane; (hoc addebat diuinus Spiritus) etenim ab huius vitae aerumnis conquiescunt, neque tamen eo seciùs amplissima virtutum suarum praemia consequentur.

14. Obseruabam porro nubem candidam, eique insidentem aliquem, humana facie, habentem in capite coronam auream, dextrâ autem falce acuta instructum: 15. quem alius angelus, templo egredens, voce magna iubebat, immissa falce metere, quoniam adesset messis tempus, ac segetes areafictæ maturuissent. 16. Hoc igitur id statim exsequente, terra metebatur. 17. Rursus alius angelus, et ipse falce acuta instructus, e templo cælesti exibat, 18. quem secutus quidam tertius, ab arâ prodiens, alteri illi vehementer acclamabat, vt, adhibita falce, vuas vitis terrestris abscederet, quoniam et ipsae maturuissent. 19. Quo facto ille, immissa in terram falce, vuas, e vite terrestri abscessas in magnum irae diuinæ torcular coniiciebat,

20. quo

20. quo extra v. bem calcato, sanguinis riuus effluebat,  
eā partim copiā, vt equorum fraena attingeret, partim  
longitudine, vt mille sexcenta stadia torrens  
eius aquarebatur.

CAP. XV.

1. Hinc aliud in caelo videbam spectaculum, magnum illud et mirabile, septem angelos, septem calamitatum immittendarum potestate instructos, quae ultimae vocantur ideo, quod in iis finis poenarum diuinorum futurus est. 2. Offerebat igitur se oculis meis veluti mare vitreum, intermisisti ignibus; quod circumstabant. ii, qui bestiae illecebras vicerant, nec signum eius et numerum nominis receperant, citharas ad laudandum Deum tenentes. 3. Hi canunt carmen Mosis, legati dinini, nec non carmen agni, hunc fere in modum: „Magna et mirabilia profecto opera tua sunt, Deus Optime Maxime, nec minus insta consilia et vera iudicia, rex summe sanctorum! 4. Quis te, Domine, non vereatur, ac maiestatem tuam celebret, quum solus sanctus sis? Venient sane nationes omnes ac singulae, vt supplices te adorent, quoniam iustitiae tuae documenta apparuerunt.“

5. Posthaec videbam apertum in caelo templum, in quo sacrum erat tabernaculum. 6. Inde exibant angeli septem, calamitatibus totidem mundum infestaturi, linteis albis ac puris induiti, circa pectora autem zonis aureis cincti. 7. His vna e naturis illis quatuor caelestibus septem phialas tradebat aureas, quae signis irae Dei, in aeternum viuentis, abundabant. 8. Repletum autem erat totum templum fumo, maiestatis ac potentiae diuinae indice,

ita

ita quidem, vt nemo intrare posset, donec septem illae calamitates ab angelis, suo quaque loco hominibus essent inflictæ.

## CAP. XVI.

1. Tum magnam audiebam vocem, e templo emissam, qua septem illi angeli phialas, irae diuinæ signis plenas, iuberentur in terram effundere.  
 2. Primus igitur, quum suam in terram effudisset, nascebantur noxia et pestifera vlebra in his, qui sanguinem bestiae sibi impressum habebant, eiusque simulacrum adorabant. — 3. Alter, quum phialam effudisset in mare; hoc sanguineum, veluti caderis occisi colorem sumebat, vt, quidquid in vnde spirabat, inde exspiraret. — 4. Tertii phialæ in fluvios et aquarum fontes effusæ, quum hi pariter sanguineum colorem duxissent; 5. andiebam angelum, aquis praefectum, haec loqui: Sane iustus es, Domine aeterne, et sanctus, qui sic iudicaris, 6. quum hi sanctorum et vatum sanguinem fuderint, quique iis pariter sanguinem hauriendum dederis, quum hac poenâ sint dignissimi.“ 7. Cum quo alias, ex arâ loquens, consentiebat, haec dicens: „Profecto, o Domine Deus omnipotens, vere ac iustae sunt poenæ, quas soles infligere!“ — 8. Quarto angelo, qui phialam in solem effundebat, potestas dabatur hominum aestu vexandorum. 9. Quo quum illi vrerentur vehementissime, in Deum, vt horum malorum auctorem, sclestissime inuehebantur, nec iis emendari se sinebant vel eatenus, vt eius maiestatem agnoscerent. — 10. Quintus quum suam effundisset in sedem bestiae, huius regnum è re obscurabatur; vnde exacerbati eius cives lingas adeo suas præ dolore mordebant.

11.

De-

Deumque propter istas molestias et vlcera conuiciis  
proscindebant, neque eo secius mores emendabant. —  
12. Sextâ autem phialâ ab angelo in magnum flu-  
vium Euphratē effusâ, huius alueus exarescebat,  
vt Orientis regibus via per hunc fluuium sternere-  
tur. — 13. Videbam porro ex ore draconis, bestiae,  
et impostoris tres Spiritus, ranarum specie, pro-  
deuntes; 14. (nam hi, a malo daemone profecti,  
possunt adeo miracula edere) qui apud reges terra-  
rum orbis circumirent, vt eos ad bellum sollicita-  
rent, quod magno quodam die, Dei omnipotentis  
auspicis, geretur. 15. (Atque ecce! *Christus ait,*  
ego inopinatus adero! Beatus erit, quisquis vigi-  
larit, ac *veluti* vestes corpori circumdederit, ne illo  
tempore, nuditate ostensâ, turpitudinem suam pro-  
dat.) 16. Iidem reges illos in locum vnum con-  
gregabant, quem Harmegeddon Hebraei appellare  
solent. — 17. Septimâ denique phialâ ab angelo in aërem effusâ, magna vox e templi caelestis solio  
audiebatur, quae, Facta esse omnia, pronunciaret.  
18. Hinc statim fragores, tonitrua, fulminâ, ac ter-  
rae motus, qualis quantusque post hominum memo-  
riam in hoc terrarum orbe nunquam extiterat. 19.  
Scissa simul vrbs magna in partes tres, profanarum  
quoque gentium vrbes extinctae, in primis autem  
ingens illa Babylon destinatum ipsi pridem irae di-  
vinæ *veluti* poculum coacta funditus eibere. 20.  
Adhaec mergi insulae, montes euanescente; 21.  
grando denique, sexagenarum librarum pondere,  
de caelo in homines deiici, cuius calamitatis caussâ,  
quod tam inaudita esset, illi in Deum impie etiam  
inuehebantur.

## CAP. XVII.

1. Tum e septem illis angelis, qui phialas totidem habuerant, unus ad me accedens: Ades dum, inquit, ut tibi horrendas magnae meretricis, ad multa residentis flumina, poenas ostendam. 2. Cum hac rem habuerant reges adeo orbis terrarum, et libidinum eius poculo *venenato reliqui etiam mortales* inebrati sunt. 3. Statim ille me, extra me raptum, in deserto aliquo collocat, vbi mulierem conspiciebam, incidentem bestiae coloris coccinei, cui septem capita ac decem cornua habenti nomina, in Deum contumeliosa, essent inscripta. 4. Ipsa mulier, vestibus induita purpureis et coccineis, auro item, pretiosis lapidibus, et margaritis ornata, poculum aureum manu tenebat, omni foeditate ac meretricia impuritate plenissimum. 5. Fronti eius inscriptum erat *Musipiov!* Babylon magna, omnium meretricium, et impuritatum, per orbem commisarum, mater! 6. Hanc igitur quum, epoto sanctorum hominum et legatorum Iesu sanguine, inebriatam vidissem, summa me ex hoc adspectu subibat admiratio. 7. Sed angelus: Quid, quaeso, miraris, inquit; equidem tibi arcanum et mulieris, et bestiae, ipsam portantis, ac septem capita cum decem cornibus habentis, sensum indicabo. — 8. Bestia, quam vidisti, partim erat, partim non est amplius; eadem, ex abysso adscensura, in interitum suum ruet, adeo, ut admiraturi sint terrarum orbis incolae, (quotquot ab initio mundi non relati fuerint in numerum eorum, qui aliquando sunt in aeternum seruandi,) quum bestiam partim fuisse, partim non esse amplius, partim certo modo adhuc manere, animaduerterint. 9. Nunc porro attende, quum magna hic sapientia lateat. Septem capita totidem

tidem montes sunt, super quibus mulier sedem fit.  
10. Denotant iidem septem reges; quorum periore iam quinque; unus est cum maxime, alius nondum exstat, sed quando exstiterit, non nisi breue per tempus manere ei licebit. 11. Illa autem bestia, quam dicebam partim fuisse, partim non esse amplius, non modo octauum numerum explabit, verum etiam septem illis annumerabitur, ipsa quoque interitura. 12. Decem vero cornua, quae vidisti, totidem reges sunt, qui regnum nondum accepere, sed regiam potestatem per unam horam cum bestia communiter accipient. 13. Nam et ipsi inter se consentient, et vires suas potestatemque cum bestia communicabunt. 14. Idem simul bellum agno intulerint, ab hoc vincentur, quum iste dominorum dominus, ac rex regum, eius autem asseciae ei fidelissimi sint, et ad aeternam felicitatem destinati et inuitati. 15. Aquae, (sic ille pergebat) quas vidisti, et ad quas habitat mulier, populos, gentes, et nationes, variis videntes linguis, significant. 16. Decem autem cornua, quibus instructam videbas bestiam, odium meretricis concipient, eamque, desertam ac nudatam, depascentur, reliquam vero carnem flammis tradent. 17. Deus enim hanc iis mentem iniciet, ut bestiae gratificaturi, facta conspiratione, regnum suum huic tradant, donec, quae Deus fieri vult, facta sint. 18. Ceterum mulier, quam vidisti, non alia est, nisi magna vrbs, quae ipsis terrarum orbis regibus imperat.

### CAP. XVIII.

1. Posthaec videbam angelum, caelo descendenter, et magna potestate instructum, cuius splendorre terrarum orbis illustraretur, 2. qui in haec verba

ba magno cum clamore erumperet: „Periit ergo tandem, periit magna Babylon, et in domicilium daemonum, carceremque impurarum naturarum, nec non auium obscoenarum omniam mutata est; 3. propterea, quod e venenato libidinum suarum veluti poculo omnes gentes iussit bibere, quod reges magni rem cum eâ habuerunt, quod denique ipsa mercatores totius orbis insatiabili luxuriâ suâ ditauit. — 4. Rursus audiebam aliam vocem, caelitus emissam, ita fere loquentis: „Relinquette urbem, vos o mei, vt neque flagitorum eius, neque calamitatum fatis participes. 5. Nam scelera eius tanta sunt, vt caeli altitudinem aequare, et ipsius Dei vindictam prouocasse videantur.“ Hinc ei malum pro malo reddit, idque dupliciter; nec minus poculum illud, quo vos inebriauit, duplo misceste. 7. Quantum se ipsa ante efferebat, quantum luxuriabatur, tantum ei cruciatum et luctus infligite; ipsa enim, vel adhuc, se reginam residere, viduam nunquam fore, nec orbitatem experturam, somniate. 8. Hinc vna eademque dies ei poenas, mortem, luctum, famem, quin flamas et incendium afferet; Dominus enim Deus, eius index, est longe potentissimus. 9. Ingens sane fletus et planctus erit regum, qui ipsâ abusi et cum ea luxuriati sunt, quando fumantem ignibus eam conspexerint; 10. et, eminus stantes, eius cruciatis perculti, exclamabunt: O miseram te, Babylon, vîbs magna, eademque potentissima, cui vna eademque hora interitum attulerit! 11. Pariter totius orbis mercatores eam flent alugent, ideo, quod nullos hinc mercium suarum emtores sint reperturi, 12. non auri, argenti, pretiosorum lapidum, margaritarum, byssi, purpurae, sericorum, coccineorum; non ligni thyini, et vasorum ex ebore,

ligno

ligno pretioso, aere, ferro et marmore, 13. cinnamomi, suffitū, vnguenti, thuris, vini, olei, similaginī, tritici; non denique iumentorum, onium, equorum, thedarm, mancipiorum, ac seruorum. 14. Adeo te deseruit pomeram, tibi gratissimorum prouentus, et quidquid molle ac splendidum tibi contigerat, vt aeternum hinc iam iis carere cogaris. 15. Harum rerum omnium, inguam, venditores eminus stabunt, et ruinae tuae terrore perculti, lacrymis effusi, sic te lugebunt: 16. „O miseram te iterumque miseram, magna vrbs, quae byssō, purpura, et coco, nec non auro, lapidibus pretiosis et margaritis te prius ornabas, quod vnā horā tantae diuinitiae perierunt!“ 17. Sic nauium gubernatores, vectores, nautae, et quicunque negotiorum caussā, per maria commeant, et ipsi, procul stantes, 18. quum fumum eius viderent adscendere, exclamabant: Quam, queso, similem haec magna vrbs habebit? 19. conspersisque puluere capitibus, clamores luctuosos, intermisstis lacrymis tollebant: „Heu miseram te, iterumque miseram, magna vrbs, cuius ex opulentia ditabantur, quicunque nauibus per maria commeabant, quod vnius horae spatio vastata iaces! 20. Exsultate hinc, o caelites, o sancti legati diuini, o vates sancti, quod sanguinis vestri poenas Deus ab illa repetit!“

21. Tum angelus quidam robustus sumtum ingenis saxum, molaris instar, in mare proiciens: „Plane sic, inquit, Babylon, magna vrbs, vno ictu delicietur, vt eius ne vestigium quidem ullum amplius supersit. 22. Neque vero tu musicorum, citharoedorum, tibicinum, tubicinumque cantu personabis amplius; nec artium tot opera pulcherrima in te spectabuntur; nec rotarum molarium sonitus audietur,

audietur, 23. nec lumina accendentur, nec nuptiae celebrabuntur; quod non modo mercatores tui principum opes aequarunt, verum etiam beneficis tuis amoribus omnes nationes in errorem sunt inductae, 24. quia tu ipsa fusi vatum et sanctorum virorum sanguinis culpam vna sustines!“

## CAP. XIX.

1. Posthaec ad aures meas accidebat vox de caelo, eaque magnae multitudinis, ita canentium: „Laudate Deum! eique felicitatem, gloriam, honorem et potentiam, tanquam Domino, Deo nostro tribuite! 2. Iustae enim et accommodatae ad reos eius poenae sunt; ut patet ex eo, quod meretrixem istam magnam, quae suā libidine totum orbem infecerat, vltus, sanguinis legatorum suorum effusipoenas ab ea repoposcit. 3. Atque iterum dicebant: „Laudate Deum, quod fumum perpetuum incensae Babylonis signum esse iussit!“ 4. Statimque Seniores quatuor et viginti ac naturae quatuor viuae supplices Deum, in solio residentem, adorabant his verbis: Fiat! Laudetur Deus O. M! — 5. Hinc alia vox, de solio emissa, sic loquebatur: Laudate Deum nostrum, quicunque ipsum collitis ac reueremini, cuiuslibet aetatis atque ordinis! 6. Tum rursus audiebam vocem magnae multitudinis, vndarum multarum ingentiumque tonitruum sonitu comitamat, dicentium: „Laudate Deum ideo, quod ipse, Dominus Deus omnipotens, regnum mundi obtinet! 7. Laetemur itaque et exsultemus, eique soli honorem tribuamus, quoniam arcanae agni nuptiae instant, eiusque sponsa parata est, 8. quam iam vestem byssinam, puram, eamque splendidissimam dono acceperit, qua sanctorum iu-

ra

ra, virtus, et innocentia notantur. 9. Tum ego ab angelo quodam iubebat his adscribere verba haec: „Felicissimi sunt, quibus ad conuiuium hoc nuptiale vocari contigerit!“ quibus simul adiiciebat, haec Dei promissa esse longe verissima. 10. Qua de caussâ quum ego illum angelum supplex adorare coepissem, ille hoc me vetabat facere; se enim non nisi sodalem esse, dicebat, et meum, et aliorum hominum, qui testimonium Iesu haberent; solum mihi Deum adorandum esse. Vaticina autem, a Spiritu diuino profecta, de Iesu Christo testimonium perhibent.

11. Iamque caelum ipsum videbam discedere, ibique equum, albi coloris, cui qui insidebat, eum, ferebant, esse fidelem, veracem, et in exercendis iudiciis gerendisque bellis iustissimum. 12. Ardebant oculi, flammæ in modum; caput cinctum erat multis diadematis, nomen habebat inscriptum, cuius vim, praeter ipsum nemo nouit; 13. vestis tincta hostium sanguine; alterum eius nomen 'Ο λόγος τὸς Γεός! 14. Porro caelitum exercitus, pariter albis equis vectus, purisque ac splendidis vestibus byssinis induitus, eum sequebatur. 15. Ex ore eius prominebat ensis acutus, ad profanas gentes caedendas destinatus, quas virgà ferrā sibi subiiciet; idemque torcular irae ac furoris Dei omnipotens calcat. 16. Adhaec vesti eius, prope femur, inscriptum legitur: Rex regum ac Dominus dominorum. 17. Tum videbam angelum, in sole stantem, omnibusque auibus, per medium aërem volantibus, magna voce acclamantem: Adeste, et conuiuium, a summo Deo vobis paratum, celebrete, 18. quo carnes regum, chiliarchorum, procurum, equorum cum ipsis sessoribus, denique omnium,

minium, ingennorum ac seruorum, maximorum, minimorum, depascamini. 19. Hinc bestiam, et reges orbis terrarum, cum suis exercitibus, videbam, ad bellum, cum eo, qui equo insidebat, eiusque exercitibus gerendum, accingi. 20. sed capta subito bestia, et cum ea impostor, qui miraculis, in huius conspectu editis, eos, qui signum illius impressum receperant, simulacrumque adorarant, in errorem induxerat, uterque in lacum, sulphure et ignibus ardente, viui coniiciebantur; 21. reliquis eneae illo, qui ex ore magai equitis prominebat, interemtis, tanto quidem numero, ut eorum carnibus omne avium genus abunde satiaretur.

CAP. XX.

1. Posthaec angelum videbam, caelo descendenter, qui, clauem abyssi tenens, catenam trahet longissimam, 2. comprehensumque draconem, serpentem istum antiquum, qui idem Diabolus ac Satanus vocatur, in annos mille carceri traderet. 3. Coniectum igitur in abyssum non modo ibi includebat, verum etiam obsignabat, ne, durante illo millennio, tot gentes in errorem induceret, sed postea demum ad breve tempus solueretur. 4. Tum videbam sellas ponи, in quibus, data iudicandi potestate, considerent animae eorum, qui propter nominis Iesu professionem et doctrinam diuinam capite fuerant plexi; item, qui nec bestiam ipsam, nec eius simulacrum adorare, nec signum frontibus suis vel manibus ab ea imprimi voluerant. Hi igitur, in vitam reuocati, per ipsos mille annos in societatem regua Christo admittebantur; 5. caeteris mortuis sine vita per totum istud millennium iacentibus. Nam haec prior est ad vitam reuocatio; 6. cuius

cuius qui participes fient, vix dici potest, quanta eorum sanctitas sit atque felicitas. In hos enim alteri mortis generi nihil potestatis est, quum sacerdotes Dei et Christi sint, et, (*vti iam dictum*) milles annos cum hoc regnaturi. 7. 8. Sed exacto millennio suo Satanas, ex carcere dimissus, quatuor orbis plagas circumabit ad populos in errorem inducendos, Gogum maxime et Magogum, ut eos cum innumerabilibus copiis ad bellum gerendum mittat. 9. Qui quum in planitatem descenderint, et castra sanctorum urbemque dilectam coronam cinxerint; ignes caelitus immisxi eos consument, 10. diabolus autem, eorum instigator, in lacum, sulphure et ignibus ardente, conicieretur, quo *iam prius* bestia et impostor fuerant coniecti, et ubi singuli, sine ulla finis spe in aeternum cruciabuntur.

11. Contra ea videbam solium album positum, et aliquem ei incidentem, quo conspecto caelum pariter ac terra in perpetuum euanescerent. 12. Apparebant coram Deo mortui cuiusque gentis, aetatis, et ordinis, aperiebantur libri certi, cum alio quadam libro hominum in aeternum beandorum indice, ac de factis mortuorum ex iis, quae ibi scripta erant, siebat iudicium. 13. Cuius iudicij exercendi causam mare, tartarus, et mors reddere cogebantur, quoscunque absorpserant. 14. Ipsa vero mors (alteram mortem dico) ac tartarus in lacum ardente coniciebantur; 15. qui etiam his destinatus erat, quorum nomina in indicem seruandorum relata non fuissent.

### CAP. XXI.

1. Tandem vero nouum caelum nouamque terram, sublatis una cum ipso mari veteribus, conspiciebam.

2. Quin

2. Quin ego, Iohannes, urbem sacram, Hierosolymam nouam, caelitus abs Deo demissam, non secus, ac sponsam, quae omni ornatu vestita ad maritum deducitur, videbam, 3. anditā simul de caelo magna voce huiusmodi: „En! haec tandem *vera* est Dei apud homines sedes, cum quibus, tanquam cum suis, habitabit ita, ut arctissimā hinc coniunctione inuicem copulentur! 4. Nam quum priora illa iam praeterierint, nunc demum Deus omnes lugendi caussas tollet, ita, ut nec mors, nec tristitia, nec eiulatus, nec molestia, vlla sit amplius.“ 5. Haec confirmaturus, qui in solio residebat: En, inquit, omnia a me renouabuntur; simulque scribere me iubet, haec longe certissima esse et verissima. 6. Idem pergebat: Facta sunt, *quae fieri volueram!* Ego enim sum absolute maximus, primus idemque ultimus; cuius cognoscendi sitim explere cupientibus fontem aquae viuae gratis bibendum dabo, 7. quin eos, qui *in bono* perseuerant, omni bonorum genere reddam affluentissimos, ut iis patris loco sim, ipsi mihi loco filiorum habentur. 8. Meticalosis autem, perfidis, impuris, homicidis, libidinosis, veneficis, simulacrorum cultoribus, et impostoribus cunctis lacus, ignibus ac sulphure ardens, poena destinata manet, quod alterum mortis genus est.

9. Tum angelus, e septem illis, qui totidem phalias, irae diuinæ signis plenas, habuerant, ad me accedens: Ades dum, inquit, ut agni sponsam, ei nuptam, tibi ostendam. 10. Hic ergo mihi, extra me rapto, et in montem magnum, eundemque altissimum perducto, urbem magnam, Hierosolymam sanctam, diuinitus conditam, monstrabat. 11. Ea diuina prorsus gloriæ erat praedita; lumina-

re

re eius simile lapidi pretiosissimo, tanquam iaspidi, crystallum imitant; 12. murus ingens et altus; portae duodecim; ad has totidem angelii, itemque duodecim populi Israëlitici tribuum nomina inscripta; 13. portarum autem tres ad unamquamque quatuor caeli plagarum sitae; 14. moenia denique urbis, duodecim fundamentis nixa, quibus nomina duodecim agni legatorum essent inscripta.

15. Habebat autem is, qui mecum loquebatur, angelus, aureum calatum, quo et urbem, et portas, et murum metiretur. 16. Urbem ipsam, quae formae quadratae est, ita ut longitudinem latitudo aquet, quum calamo dimensus esset, reperiebat, duodecim stadiorum millia et longam, et latam, et altam esse; 17. murum autem centum quadraginta quatuor cubitos explore, tantum illos altitudine, quanta erat humanae formae statura, qua mihi angelus apparuerat. 18. Caeterum totus murus exstructus erat iaspide; aedificia urbis auro purissimo, quod vitro puro esset simillimum; 19. fundamenta denique moeniorum gemmis ornata pretiosissimis; primum iaspide, alterum sapphiro, tertium chalcedonio, quartum smaragdo, 20. quintum sardonyche, sextum sardo, septimum chrysolitho, octauum berylo, nonum topazio, decimum chrysopraso, undecimum hyacintho, duodecimum amethysto. 21. Portae urbis singulae totidem gemmis constabant; platea autem auro puro, in morem vitri pellucidi. 22. Templum equidem in urbe nullum videbam, quum ipse Dominus, Deus omnipotens et agnus templi vicem ei praestent. 23. Neque vero etiam urbs vel solis splendore, vel lunae nitore opus habet, quum ipsa Dei maiestas eam satis illustret, ac vel agnus ei pro luminari sit. 24. Quo quidem urbis

bis lumine etiam tot seruatae gentes fruentur, ac summi terrarum orbis reges omnem honorem suum in eam conferent. 25. Nec portae eius claudentur interdiu, sublatâ in perpetuum noctis caligine. 26. Quin omnis gentium splendor et gloria in eam conferetur, 27. quum nihil omnino impuri, aut foedi, aut falsi in eam admittatur, nec nisi eos, qui in catalogo seruandorum ab agno reperiuntur, cives ipsa habitura sit.

## CAP. XXII.

1. Simul ille mihi purum aquae viuae ostendebat fluum, crystalli more pellucidum, qui e solio Dei et agni manaret, 2. inter quem et urbis plateam utrinque essent arbores, vim habentes viuificam, et multiplicita fructuum genera, singulis mensibus singula, ferentes, quarum ipsa adeo folia integras gentes sanare possunt. 3. In hac igitur urbe non locus erit amplius diris et execrationibus, quum Dei et agni solium ei intersint, eumque cultores sui rite venerentur, 4. ipsiusque, quem tum proprius cognoscent, nomen frontibus habeant inscriptum. 5. Neque nox (ut iam dictum) erit amplius, quum diuino lumine collustratis ne luminaribus quidem, aut solis splendore opus futurum sit, ipsi autem sine fine ullo sint regnaturi.

6. Atque haec omnia, angelus dicebat, longe verissima esse ac certissima, Deumque ipsum, vatuum sanctorum dominum, ipsi mandasse hoc, ut eius cultoribus, quae perpetua quadam serie se invicem exceptura essent, ostenderet. 7. En! ego, Jesus inquit, mox adero! felices sane, qui huius libri vaticinia probe tenuerint! 8. Ego vero, Iohannes,

hannes, haec ipsa vidi et audiui. Quod vitrumque dum faciebam, coram angelo, haec mihi monstrante, adorandi caussā in genua supplex procidebam. 9. Sed ille hoc me vetabat facere, quoniam non nisi sodalis esset et meus, et vatum, meorum sodalium, et omnium adeo, qui huius libri argumentum probe tenerent; imo Deum solum iubebat adorari.

10. At *Iesus porro mihi*: Ne obsignes, inquit, huius libri vaticinia, quoniam prope abest tempus, quo ea eventum habere incipient. II. Caeterum impietatem impii, foeda queuis foedi, institiam iusti, sanctitatem sancti, suo quisque et periculo et commodo, interim exerceant. 12. Mox enim ego adero, suam cuique mercedem pro factorum ratione tributurus. 13. Ego certe sum aeternus, absolute summus, primus idemque ultimus. 14. O felices, qui eius praeceptis paruerint, ut ipsis aliquando liceat arborum sanantium fructibus vesci, et per portas yrbe ingredi; 15. extra quam qui degunt, pro canibus, beneficis, lascivis, homicidis, simulacrorum cultoribus, habendi erunt, qui fraudes non modo amant, verum ipsi etiam commitunt. 16. Ego, *Iesus*, angelum meum misi, qui coetus, mihi sacratos, his de rebus certiores faceret; idemque Daude sum antiquior simul, et iunior, stella matutina lucidissima. 17. Etiam sponsa mea, Spiritu diuino acta, aduentum meum cuppe exspectat. Qui ergo sitiunt ac volunt bibere, ad me accedant, ut viuam aquam gratis hauriant. 18. Ego vero, *Iohannes*, omnibus, vaticinia huius libri cognitoris, denuncio, si quis iis quidquam ausus fuerit adiungere, in eius caput Deum calamitates, hoc libro scriptas, cumulaturum; 19. qui contra

718 APOC. IOH. THEOL. CAP. XXII. v. 20. 21.

contra ex iis quidquam deleuerit, eius nomen Deum ex indice seruandorum esse deleturum, domicilium ex urbe sancta amoturum, e praemissis denique, hoc in libro promissis, partem ablaturum.  
20. Addit horum promissorum auctor: Sane, mox adero, *vti dixi*, Fiat! — Recte; ades, quaeso, Iesu, Domine! 21. Vobis autem omnibus fauor Domini nostri, Iesu Christi *perpetuo* contingat!  
Amen!

S. D. G.

**E m e n d a n d a :**

Fag. 9 l. 5 item

- 14 -- 23 affirmant
- 17 -- penult. verbulo, abs te emissio;
- 19 -- 11 dele: ipsum
- 22 -- 31 quam,
- 24 -- ult. affirmo,
- 88 -- 25 mox
- 105 -- 7 editum
- 117 -- 23 licetis
- 118 -- 4 fere
- -- 10 deinde
- 129 -- 2 appellant, inciderent,
- 131 -- 12 percussero,
- 133 -- 12 sedente
- 142 -- 31 prouecrus
- 150 -- 12 spe --
- 154 -- 13 modo me adoraueris,
- 158 -- 13 comitari
- 167 -- 7 legatum
- -- 21 sedentes
- 190 -- 13 corrasiisti?
- -- 21 vos, ut hoc
- 200 -- 16 rediret, eum adiisset,
- 207 -- 16 aetate
- 209 -- 6 hebdomadibus
- 217 -- 17 aggressi,
- -- 24 deinceps
- 229 -- 31 nostrum
- 242 -- 7. (vt aiunt)
- 258 -- 8 tempore,
- 280 -- 16 affirmo
- 325 -- 15 Tum
- 328 -- 13 Posteri tui
- -- 31 filios
- 338 -- 28 occidendi
- 347 -- 26 7 ange-
- 351 -- 4 diligere,
- 356 -- 24 religionem
- 375 -- 27 appellebamus
- 379 -- 24 maximi aesti --
- 383 -- 2 consiliis,
- 384 -- 14 ciuem Romanum
- 388 -- 28 excitantem,
- 396 -- 13 Lasaem
- 401 -- 4 affirmarem,
- 409 -- 26 praestare
- 410 -- 7 queso, fit, **vñ**
- 416 -- 13 omni alia
- 426 -- 18 pepercerit,
- 432 -- pen. offexo,

Fag. 440 I. 23 firmiores contemnere, aut curvos, firmiores,  
timidiores illos condemnare audetis?

- - 458 -- 50 dicitis,
- - 470 -- 23 Deo praestandum
- - 475 -- 2 nec tam de
- - 481 -- 16 si omnino
- - 507 -- 6 pertinaciâ
- - 515 -- 9 Christianis
- - 532 -- 28 pariete
- - 539 -- 11 spiritu
- - 540 -- pen. et monitis,
- - 550 -- 8 cism incurrent
- - 557 -- 22 circumscribat
- - 572 -- 26 perturbati,
- - 592 -- 19 quae satis
- - 604 -- 7 interibunt,
- - 654 -- 21 Christo
- - 664 -- pen. est, vt alius
- - 705 -- 15 nuditate
- - 711 -- 10 Vaticinia
- - - - 25 virga ferreâ.

mit g. i.  
Oskar Leibhardt

Ley 81





Jc 6137


VD 18

ULB Halle  
005 892 570

3



m. 6



B.I.G.

Black

3/Color

White

Magenta

Red

Yellow

Green

Cyan

Blue

Farbkarte #13

Blue

Centimetres

Inches



S A C R I

NOVI TESTAMENTI

LIBRI OMNES

VETERI LATINITATE

D O N A T I

A B

HENRICO GODOFREDO REICHARDO,

A. M. Schol. prov. Grimm. Collega III.

PARS SECUNDA

L I P S I A E 1799.

A P V D SIGEFR. LEBER. GRVSIUM